Aa I 45

Aa I 45

DE SCRIPTV-RAE SANCTAE PRAE-STANTIA, DIGNITATE, EX-cellentiſsimaq; authoritate, perfectio-ne, vel ſufficientia, claritate item, facili-tate, perſpicuitateq;, & vero earum vſu, piſsima doctiſsimá-que diſſertatio.

In qua excutitur celebris illa quæſtio, Vtrum Scriptura Canonica authoritatem habeat ab Eccleſia, an potius Eccleſia authoritatem accipiat à Scriptura? Vnde & de Eccleſia, eius dignitate officijsq; de Traditionibus, omnibusq; aliis huius cauſæ adiunctis diſſeritur, ſimul & ad obiecta omnia reſpondetur.

PROVINCIA GERMANIAE INFERIORIS

PSAL. CXIX.

Super ſenes intellexi: quia mandata tua quæſiui.

TIGVRI EXCVDEBAT CHRIST. FROSCH. M. D. LXXI.

53/1702

AMICO LECTORI GRATIAM ET PACEM A DOMINO OPTAT Heinrychus Bullingerus Tigurinæ Eccleſiæ miniſter.

ALLATVS eſt mihi hic liber, amice Lector, ex vrbe longinqua & præclara, ante ſeptimanas aliquot, abſq; eius qui mittebat, & abſq; authoris nomine, duntaxat petebat ille, vt ſi liber hic videretur dignus, qui ederetur in publicũ, traderetur viro induſtrio D. Chriſtoph. Froſchouero imprimẽdus. Præferebat autem liber hunc titulũ, Vtrum ſacra Scriptura authoritatẽ habeat ab Eccleſia: an potius Eccleſia authoritatem accipiat à ſcriptura ſacra? Diſſertatio: á quodã pietatis ſtudioſo ad inſtructionem rudium & ſimplicium collecta. Argumento verò hoc Sancto vtili & neceſſario delectatus plurimũ, cupide mox librum legere cœpi, ac facile comperi, authorem ſingulari præditum humilitate & modeſtia, nomen ſuũ oppreſſiſſe ac neglexiſſe. Noluit, nimirum, vllam huius mundi, quod nonnulli ædendis libris ſtolide quærunt, venari gloriolam, imò maluit ſolius Dei verbiq; eius gloriam curare extollere ac prædicare. Vidi item ardens feruere in homine ſtudium puræ religionis ſynceritatem aſſerendi, & vtilitatẽ luculentã ſtudioſorum pietatis

promouẽdi. Agnoui deniq; singularia Dei dona in hoc homine sese exerere, dexteritatẽ inquam et felicitatẽ in tractando hoc illustri argumẽto, diu iam inter eruditos controuerso & varie expositio. Quicquid enim de eo dici potest necessariò & vtiliter, hoc totum ille libro hoc suo complexus est, & quidẽ breuiter, euidẽter, perspicue, ordineq; pulcherrimo. Totum enim negotiũ alioqui copiosum in capita distinxit, deinde singulis capitibus sua argumẽta præfixit, vt vel ex his breuibus capitibus totius libri scopum, summã et tractandi modum perspicere possis. Vnde et ego Titulũ libri, quem vides ex materia tractata contextũ operi præfixi, vt vel vno contuitu & mox ab initio, omnia adhuc breuiore in cõpendio contẽplari, quæ libro hoc continẽtur, possis. Illustrat ille & confirmat sua illa omnia, præcipue, vt æquũ est, per scripturas sanctas, deinde etiã per beatorum antiquorũ patrũ testimonia idonea. Neq; verò mihi soli, verumetiã viris aliquot pijs & eruditis, quibus meritò plus, quã mihi tribuas, placuit labor hic vtilis. Cui hanc epistolã ideò præfixi, ne tibi sorderet aut suspectum esset opus anonymũ. Neq; verò erit hoc anonymon, si consequatur antagonistã aliquẽ, qui hoc impetat atq; oppugnet. Quæ verò hactenus in præsentia in laudem libri huius dixi, tu ipse vera esse experieris, admiraberis et testaberis, modo ipsum diligẽter et animo syncero legeris simulq; probe expenderis. Vale Lector amice. Ex Tiguro, mense Augusto. Anno 1571.

VTRVM SACRA SCRIPTVRA AVTHORITATEM HABEAT AB ECCLESIA: An potius Ecclesia authoritatem acceipiat à sacra scriptura.

Rationes eorum qui Ecclesiæ authoritatem supra Scripturam extollunt.

CAPVT I.

PRAECIPVA post Deum, Deique verbum reuerentia debetur Ecclesiæ, sponsæ Christi, quam Deus adeo dilexit, vt filium suum vnigenitum victimam pro ea esse voluerit, quam donat spiritu suo, vt sit templum & imago Dei, in qua celebrari vult, & hic & in vita æterna.

Est igitur pietas, diligenter & grato pectore omnia dona, omnes diuitias, quibus ornata & aucta est Ecclesia, colligere, & consyderare. Habet hæc filium Dei caput, sponsum, & saluatorem, cui in fide desponsata est: habet lætum Euangelij nuncium, habet spiritum sanctum gubernatorem, habet ministerium per Patres, Prophetas, Christum & Apostolos propaga-

Encomium Ecclesiæ Christi.

tum, qui in eam quasi in depositorium diues, vt Irenæus inquit, plenissimè contulerunt omnia quæ sunt veritatis, vti omnis quicunque velit sumat ex ea potum uitæ: habet Pastores, & ius vocandi ministros ad propagationem & conseruationem Euangelij, de quibus scriptum est: quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona: Habet dona excellentia, intelligentiam & interpretationem doctrinæ diuinitus traditæ: habet & administrationem sacramentorum & suam quandam iurisdictionem, suaq; iudicia. Hanc mirificis ornans præconijs scriptura sacra totam pulchram appellat, paradisum magni opificis, ciuitatem sancti Regis, illustrem & promicantem velut matutinum aerem & auroram, pulchram vt Lunam, electam vt Solem, quæ vnguenta spiret, quæ item stet à dextra Regis, induta fimbrijs deauratis variegata, quæ nihil tenebrosum habeat, & per Christum tota candidissima sit.

Aduersus hæreses lib. 3. cap. 4.

Esa. 52. Rom. 10.

Cum igitur plenum dignationis & venerationis sit dulce nomen Ecclesiæ, hinc est quod multi diserti & eruditi viri magnifica, copiosa, & splendida oratione maiestatem eius, eminentiam, authoritatẽ, & dignitatem extollunt, amplificant, atque exaggerant, adeò vt eam supra verbum Dei scriptum vim & potestatem habere affirment, eiq; in omnibus concedendum putent. Etenim Ecclesiam longè antiquiorem esse scriptura, hancque ab illa authoritatem suam habere.

Quid aduersarij colligant ex Ecclesiæ authoritate

habere. Extitisse Ecclesiam Patrum 2449. annis, antequam quicquã, de religione scriptum esset. Ecclesiam item noui Testamenti multis annis viua voce Euangelij collectam fuisse, antequam quicquam ab Apostolis scribi cœptum esset. Cumque Ecclesia scripturam receperit, suoque calculo approbarit: certè potiorem esse authoritatem Ecclesiæ recipientis & approbantis, quam scripturarum receptarum & approbatarum. Itaq; Ecclesiæ authoritatem, non solum non inferiorem, non solum parem, imò quodammodo & superiorem, & notiorem esse authoritate scripturæ. Siquidem Ecclesia præcipuis scripturis canonicã impartita est authoritatẽ, quã nec ex se, nec ex authoribus suis habebant. Alioqui quid causæ est cur recipiamus Euangeliũ diui Marci, qui Christum non vidit: non recipiamus autem Euangeliũ Nicodemi, quod hodieq; extat, qui tamen vidit & audiuit Christum? Vnde item Euangelium Lucæ discipuli admissum est, reiecto Bartholomei apostoli Euangelio? Nimirum non ab authoribus à quibus profecta sunt, authoritatem, sed ab Ecclesia habent. Cæteras quas habemus scripturas, esse canonicas, & fide dignas, nulla proditum est scriptura sacra, Ecclesiæ consensus eas authenticas fecit, vt rectè dixerit Augustinus, Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ authoritas commoueret. Maximè verò cum non defuerint olim, qui scripta Euan-

Cõtra Epistolã Manichæorum Fundamenti cap. 5.

gelia, cum ipsis scriptoribus Euangelistis reiecerint, falsa religione Christo videlicet soli adhærentes, qui neque scripsit ipse, neque scribi iussit, sed prædicari, suamque doctrinam non scripturam, sed Euangelium, hoc est lætum nuncium, appellauit. Quod si ergo hic Ecclesiæ concedimus, vt iure cócedere debemus omnes, cur non item in diuinorum sacramentorum negotio, alijsque concedamus? Apostolos quædam conscripsisse, non vt scripta illa præessent fidei & religioni nostræ, sed vt subessent potius. Neque opinandum esse, Apostolos suis epistolis valuisse comprehendere vniuersa nostræ fidei, Christianæq; doctrinæ præcepta & mysteria: Christum & Apostolos per tot annos multo plura prædicasse, quam quæ angustijs librorum noui Testamenti comprehendi potuerint: quare ita breue compendium Euangelij literis traditum fuisse: vt pars maxima, tanquam magni pretij thesaurus, traditionibus intimis Ecclesiæ visceribus infixis relicta fuerit.

Multa credenda quæ non sunt scripta.

Multa igitur esse credenda quæ scripta non sunt; & propterea constantem Ecclesiæ sententiam, Euangelij instar accipiendam & amplectendam esse. Proinde in re dubia, aut quacunque excitata controuersia, ad fidem certitudinemque faciendam magis idoneam & efficatiorem esse ecclesiasticæ traditionis authoritatem, quã ipsas scripturas, quod clarior magis, aperta, planeque inflexibilis sit traditio: cum

contra

contra ſcripturæ plurimum frequenter obſcuritatis habeant, & ſe trahi accommodariq́ue in diuerſam, eamq́ue quam quis ſecum ante præſumpſit ſententiam, & eludi cauta expoſitione facile permittant. Quapropter & ſcripturarum certam inflexibilemq́ue amuſsim eſſe, eccleſiaſticæ traditionis communem ſententiam. Atque vt ſummatim dicam normam, canonem, ſeu regulam fidei exactiſsimam, non eſſe ſcripturam, ſed Eccleſiæ iudicium. Chriſti vocem eſſe: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Eccleſiam eſſe columnam et firmamentū veritatis, nec errare poſſe, vtpote cui Chriſtus promiſit Spiritum ſanctū, qui eam in omnē veritatem inducat. Hortatur nos Paulus inquiens: Fratres, perſtate, & tenete traditam doctrinam quam edocti eſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Denique ex teſtimonio Hieremiæ prophetæ probare nituntur doctrinæ noui Teſtamenti, quæ à Chriſto proprio ore primum promulgata, & poſtea ſpiritu ſancto dictante, ab Apoſtolis prædicata, & per totum orbem propagata eſt: hanc eſſe proprietatem, qua à doctrina veteris inſtrumenti eam diſcerni Deus voluerit, ne vel tabulis lapideis comprehendatur, vel calamo & atramento literis conſignetur. Prædicare iuſſos à Chriſto Apoſtolos, non ſcribere. Demum multa diſputant de anguſtijs, inſufficientia, flexibilitate, ambiguitate, & obſcuritate

2 Thes. 2. Hiere. 31.

te Scripturæ: & conquisitis omnibus rhetoricæ artificijs decertant pro necessitate, authoritate, perfectione, certitudine, & claritate traditionum, non scriptarum. Videlicet vt fidei regulam non ex Dei verbo, sed Ecclesiæ traditione petamus, & scripturę tantum inesse momenti putemus, quantum illi Ecclesiæ suffragijs conceditur.

Arguitur malitia eorum qui Scripturæ derogant, utpote à qua Ecclesiæ dependet authoritas.

CAPVT II.

In personas aduersariorum.

EQVIDEM eos qui hæc disceptant, viros ingeniosos, doctos, facundos esse haud abnuo, vtinam animis etiam essent ita celsis & generosis, vt Christi regno instaurando potius, quam Pontificis propugnãdo, inseruire: & synceram Euangelij doctrinam asserere, quam corruptelas & abusus defendere mallent. Sed dum Antichristianis istis rectoribus gratificari volunt, feruore altercationis eò delabuntur, vt impia sua, sacrilega, & prophana rhetoricatione in spiritum sanctum blasphemi atque contumelioſi sint. Nam dum Scripturam ita incessunt, vt dicant Labyrinthum esse, in quo aberremus: nasum cereum esse, qui in vtramuis partem flexibilis sit: materiam litium, dissensionum seminarium esse: obscuram, perplexam, intricatam esse. Quid hoc est, si non in spiritum sanctum, huius

huius authorem, contumelia est? Veruntamen scopus istorum hic est, vt quum deprehendantur non semel in sacramẽtis & dogmatibus longè secus decreuisse, ac sanxisse, quam diuinæ literæ ferant, id tueri volunt sibi facere licuisse, quod Ecclesia quæ diuinis libris authoritatem & fidem contulerit, possit in ijsdem id quod visum fuerit immutare. Ne igitur Scripturæ maiestas ipsorum libidini obstare posset, ipsius authoritate derogare non verentur. Qua in re veterum hæreticorum versutiam atque malitiam videntur imitari. Qui cauere volentes ne Scripturarum authoritate pressi succumberent, ausi sunt libros quosdam de Canone submouere, reijcere atque explodere. Cum enim ex scripturis arguuntur, inquit Irenæus, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum, quasi nõ rectè habeatur, neque sint ex authoritate, & quod varię sint dictæ, & quod non possit ex his inueniri veritas, ab his qui nesciant traditionẽ. Carpocrates, Seuerus, Cerdo, Manes reiecerũt, teste Augustino, volumina legis: quanquam de Cerdone refert Tertullianus, sicut & de Marcione Irenæus, quod euangelistas quoque excepto Luca, reiecerit. Philaster author est, Cerintho solum placuisse Matthæum. Apud Eusebium legimus Seuerianos repudiasse Paulinas epistolas, & Apostolorum acta. Nimirum compendium rati sunt ad victoriam, si quorum iacula videbant sibi pertimescenda, eos de Eccle-

Cur tãtum tribuant ecclesiæ, dero gent scripturæ.

Imitantur hac in re hæreticos ueteres.

Libro 3. cap. 2.

De hæresibus ad quod uult Deum. Libro de hæresibus libro 1. Historię ecclesiæ lib. 4. cap. 29.

siæ castris, antequam ad pugnam veniretur, emitti postularent. Ita & isti triumphaturos se putant, si Scripturam de incertitudine, imperfectione, ambiguitate, obscuritate indignissimè infament. Et sicut veteres illi contendebant, veritatem non posse inueniri ab his qui nesciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per viuam vocem: prorsus eodem modo isti disputant, Apostolos non omnia quæ credere oportet, scriptis complexos esse, nec omnia pietatis in Scriptura contineri, pertinaeissimè contendunt. Vt agnoscas & illos, & hos eodem erroris spiritu impelli.

Pernicio-sus error à determinatione eccle się, scripturæ authoritatem fulciendam contendere.

Quocirca modis omnibus eis resistendum est. Est enim pernicioſissimus simul ac periculosissimus error, ab Ecclesiæ determinatione Scripturæ reuerentiam pendere: quo obtinente iam Christus non erit Christus, neque Euangelium Euangelium, nec Apostolos pro Apostolis, scriptáue illorum, pro scriptis Apostolicis habebimus, nisi quatenus istorum calculis atque censura, in eorum concilijs approbentur. Hic nimirum seruos Domino suo maiores esse oportet: vt Domino non credatur, nisi quatenus ei serui sui credi volunt: ac si verò æterna inuiolabilisque Dei veritas hominum arbitrio niteretur: nec fas nec tutum est in Theologia ludere humanis cogitationibus. Etenim homo

1. Cor. 2. Psal. 61. 115. Rom. 3.

ψυχικὸς non accipit ea quæ sunt spiritus Dei, & cogitata, dicta, factaque humana vniuersa, men-

dacio

dacio quàm veritati propiora ſunt, ſolus autem Deus verax. Neque firma ſunt & ſolida argumenta, quæ iſti ſuperſtitionum patroni pro ſua ſententia ſtabilienda adducunt, ſed languida potius & debilia, ſicut in diſcuſsione eorum apparebit. Tametſi ſimplices veriſimilitudine deluſi, in erroribus, & ſuperſtitionibus detinentur, & à veritate alienantur. Sed non patiamur nos eò adduci, vt ſacra volumina ſuam fidem & authoritatem ab Eccleſia habuiſſe exiſtimemus, cum longè ſecus res habeat. Quicquid enim authoritatis & exiſtimationis Eccleſiæ contigit, id totum à verbo Dei profectum eſt, ex quo nata eſt ipſa Eccleſia. Sicut Petrus inquit: Renati non ex ſemine mortali, ſed ex immortali, per ſermonẽ Dei viui, & manentis in æternum. Et Paulus inquit, In Chriſto Ieſu per Euangelium vos genui. Habet igitur ſe Eccleſia ad Scripturam, vt filia ad matrem. Cumque fateamur omnes Eccleſiam ſuſtineri fundamento Prophetarum & Apoſtolorum, certè ſi doctrina prophetarum & Apoſtolorum Eccleſiæ fulcrũ eſt, neceſſariò conſequi oportet authoritatẽ doctrinæ antecedere authoritatẽ Eccleſiæ.

1. Pet. 1.

2. Cor. 13. Epheſ. 2.

Nec eſt quod cauillentur Eccleſiam 2449. annis ante Moſen & ſcripturam fuiſſe, quando Moſis libros omnium faciunt antiquiſsimos. Quod ſanè fateor de ijs qui nunc quidem extant. Sed vnde conſtat iſtis, an Eccleſia illa vetus, quæ fuit antequam Moſes ſuum illum Pen

Eccleſia ante Moſem habuit libros ſcriptos.

tateuchum conſcripſiſſet, habuerit, vel non habuerit aliquos diuinos libros. Moſes certè librum bellorum Domini citat, Et in Ioſue citatur liber iuſtorum. Et fieri potuit, vt Noha, Abrahamus, Iſaacus & Iacobus ea ſcripſerint, quæ ad ſua tempora pertinebant, ita vt Moſes, illa poſtea collegerit, & afflatu diuini ſpiritus digeſſerit. Quid? Quod Iudas in ſua epiſtola quędam ex libro Enoch inſeruit? Nec eſt quod mihi dicas librum eſſe apocryphum. Fuit ille fortaſsis apocryphus, qui poſt ætatem Apoſtolorum circumferebatur, quę verò Iudas attulit, & firma, & certa erant. Sed eſto, (non enim contendam,) non fuerint ante Moſem Dei ſermones, niſi tantum ore prolati & per manus traditi. Quid hoc ad rem præſentem facit? Siquidem ſermones ijdem quando poſtea fuerunt literis conſignati, obſeruari debent & retineri, ita vt nihil in eis ab hominibus immutetur. Eſt omnino inuiolabile verbum Dei, ſiue voce, ſiue ſcripto tradatur, nec poteſt ſonare contraria. Fateor quidem antiquius fuiſſe verbum ἄγραφον quam id quod poſtea literis conſignatum eſt. Sed differentiam duntaxat temporis inter hæc agnoſco, non autem efficaciæ ſeu authoritatis. Eccleſia verò cum verbo Dei colligatur, vt ſit poſterior eo neceſſe eſt. Quare haud obſcurum eſt eam ſuam eminentiam & dignitatem ab eodem obtinere.

Num. 2. Ioſ. 10.

Maximam

Maximam esse Scripturæ authoritatem, quippe quæ uerbum Dei, quod Ecclesiæ uiua uoce initio traditum fuit, continet.

CAPVT III.

SACRAE verò Scripturæ longè maxima est authoritas, vtpote quæ ipsius Dei verbum continet atque à spiritu sancto est profecta. Etenim doctrina libris sacris comprehensa, non est à Philosophis in Græcia aut Italia agentibus prodita, ampliata, vel illustrata: sed à Deo ipso ædita, & è cœlo selectis quibusdam viris reuelata. Pater cœlestis sua voce patriarchis atque prophetis eam explicauit. Existens ille æternus in cœlo, inque ipso adeò Patris sui sinu vnigenitus inquam Dei filius, Dominus & seruator noster Christus Iesus ad nos descendens eandem enarrauit. Spiritus sanctus omnibus seculis quosdam præstantes afflauit homines, qui verbum in corruptè tradèrent. Illud noueritis inquit Petrus, quod omnis prophetica scriptura non sit priuatæ interpretationis. Non enim voluntate hominis allata est olim prophetia, sed à spiritu sancto impulsi loquuti sunt sancti Dei homines. Quamobrem Paulus doctrinam hanc definit, sapientiam non sæculi huius, neq; principum sæculi huius, qui abolentur: sed sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, quam præfinierat Deus ante sæcula, quam & per spiritum suum reuelauit. Sunt igitur summa omnia Scripturæ tribuenda, cuius oracula

Scriptura à Deo cœlitus est reuelata.

2. Pet. 1.

1. Cor. 2.

Principia.

ſic ſe habent in Theologia quemadmodum in vnaquaque diſciplina prima eorundem principia, quæ poni atq; cõcedi omnino neceſſe eſt.

Lex et Prophetæ.

Porrò vſq; dũ mundo Chriſtus exhiberetur, lege & prophetijs cõtinebatur Scriptura Sic videmus à Chriſto & Apoſtolis Moyſen & Prophetas citari, velut claſsicos teſtes, quorum ſcripta non ſecus ac publicæ tabulæ, in populo Dei ſine controuerſia agnoſcerentur. Apoſtoli viua voce primũ teſtati ſunt, quòd ipſis mandatum erat.

Scripta euangelica & apoſtolica.

Promulgata verò longè lateq; doctrina Chriſti, ac miraculis prodigijſq; innumeris confirmata, & conſtituta iam Eccleſia, nata ex prædicatione verbi per fidem, præcedente vtiq; verbo: cũ nõ pauci exoriẽtur, Pſeudoapoſtoli qui ſub prætextu reuelationũ & traditionũ Apoſtolicarum portẽtoſa deliria in Eccleſiã inuehebãt, & puritatẽ verbi corrumpebãt, viſum eſt ſpiritui ſancto, vt ſumma prædicationis Apoſtolicæ literis proderetur, quo integra ad poſteros trãſmitteretur. Scripſerũt itaq; ex inſtinctu ſpiritus ex Apoſtolis duo teſtes oculati: ſcripſerunt ex diſcipulis & Apoſtolicis teſtes auriti duo, quos alij & oculatos fuiſſe aſſerunt. Ea ſcripta conſtituunt quatuor Euangelia, de quibus Irenæus multa diſſerit libro cõtra Hæreſes 3. cap. 11. Vbi oſtendit quatuor tantum eſſe debere euangelia, non ea de cauſa, quod Eccleſia tantum quatuor receperit, ſed quod Deus ita inſtituerit.

Cæterum de Euangelio Matthæi S. Hieronymus

mus talem ſcribit hyſtoriam: Pantænus, cum à Demetrio Epiſcopo Alexandrino miſſus eſſet in Indiam, reperit Bartholomæum ibi prædicaſſe aduentum Chriſti iuxta Matthęi Euangelium, quod etiam Hebraicè ſcriptum, inde ſecum attulerit Alexandriam. Huic conſentiunt ea quæ Nicephorus narrat lib. 4. cap. 32. Idem Nicephorus li. 7. ca. 36. refert in Barnabæ tumulo Euangelium Matthęi repertum fuiſſe, ipſius Barnabę manibus ſcriptũ. Vnde colligi poteſt, quanti hoc Euangeliũ fecerint viri Apoſtolici.

Euſebius ex Clemente refert Petrum Apoſtolum Euangelium Marci iudicio ſuo comprobaſſe, & confirmaſſe, vtq; in Eccleſijs legeretur conſtituiſſe. Nicephorus dicit Petrum Marci dictaſſe Euangelium, atque vt id in Eccleſijs deinceps legeretur, ſanxiſſe. Irenæus ait: Marcus diſcipulus & interpres Petri, ea quæ à Petro annunciata erant, præſcripta nobis tradidit. De Luca ſcribit idem Ireneus: Apoſtoli ſimpliciter & nemini inuidentes, quæ didicerant ipſi à Domino, hæc omnibus tradebant. Sic igitur & Lucas nemini inuidens, ea quæ ab eis didicerat, tradidit nobis. Deniq; Iohannes trium Euangeliſtarum ſcripta probauit, & veritatis illis dedit teſtimonium. Demum ſcribendo Euangelio colophonem impoſuit. Itaque hyſtoriam á ſe contextam ſic concludit: Multa igitur etiam alia ſigna fecit Ieſus in diſcipulorum ſuorum conſpectu, quæ non ſunt ſcripta in hoc

Euãgelium ſecundum Marcum. Li. 2. ca 5. Lib. 3. ca. 1.

Lib. 3. ca. 1.

Euãgelium ſecundum Lucam.

Euſebius lib. 3. cap. 24.

Euãgelium ſecundum Ioannem. Ioan. 20.

libro. Hæc autẽ ſcripta ſunt, vt credatis Ieſum eſſe Chriſtum filium Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Quibus verbis non ſuum duntaxat, ſed etiam reliquorum Euangeliſtarum ſcripta complectitur. Sicut etiam veteres hunc locum intellexerunt. Et tunc quidem agnita & recepta eſt veritas Euangelica, cum adhuc ſupereſſent, qui Dominum ipſum in ſua carne mortali, & audierant & viderant: aut qui eos audiuiſſent, qui ipſi fuerant familiares, Apoſtolos & diſcipulos delectos.

Scripta Paulina.

Et quia etiam ſuppoſititiæ epiſtolæ, quaſi à Paulo vel alijs Apoſtolis profectę, Eccleſijs obtrudebantur, Paulus peculiari ſigno ſuę manu genuinas ſuas Epiſtolas notauit, ne falſę pro veris ſupponerentur. Hinc in fine ſecundę epiſtolæ ad Theſcalonicenſes legimus: Salutatio mea manu Pauli, quod eſt ſignum in omni epiſtola: ita ſcribo. Gratia Domini Ieſu Chriſti ſit cũ omnibus vobis, Amen. Quid, quod illas authenticas Apoſtolorum epiſtolas, hoc eſt, autographa in illis Eccleſijs, quibus inſcriptę erant, ſuo adhuc tempore ſeruatas fuiſſe Tertullianus author eſt? Et Pauli epiſtolæ expreſſo Petri teſtimonio approbatæ ſunt. Iohannes autẽ epiſtolam ſuam ita concludit: Hæc ſcripſi vobis, qui creditis in nomen filij Dei, vt ſciatis vos viram æternam habere, & vt credatis in nomen filij Dei. Apocalypſin vero grauiſsima obteſtatione claudit: Enimuero conteſtor, cuiuis audienti

Lib. de præſcriptione aduerſus hęreticos.

2. Pet 3.

Ioannis apoſtoli epiſtola.

Apocalypſis.

dienti verba prophetię huius libri, si quis adiecerit adhæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto: Et si quis abstulerit aliquid ex verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partē eius è libro vitæ, & ex vrbe sancta, & ex ijs quæ scripta sunt in libro isto. Est itaque Catholicæ Ecclesiæ Euangelium, quod in literas redactum, Deus pro verbo suo cōsignauit. Hinc est quod omnium ætatum Ecclesiæ libros noui Testamenti pro authenticis habuerunt, quos vel hodie pro authenticis religiosi agnoscimus, quibus & citra contradictionē credi oportere, constantissimè affirmamus.

Lib. 3. ca. 3. Euāgelium uiua apostolorum uoce prædicatū in literas redactum.

Luculentum admodum hac de re testimonium est apud Irenæum: Veram, inquit, ac viuificam fidem ab Apostolis Ecclesia percæpit, & distribuit filijs suis. Etenim Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Euangelij, per quos & veritatem, hoc est, Dei Filij doctrinam cognouimus, quibus & dixit Dominus: Qui vos audit, me audit: & qui vos contemnit, me contemnit, & eum qui misit me. Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quam per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos, quod quidem tunc præconiauerunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Audis huius antiquissimi & sanctissimi Episcopi testimonio, Apostolos idem Euangelium quod viua

voce promulgarunt, postea per Dei voluntatem scripta nobis tradidisse, vt hoc scriptum Euangelium fundamentum & columna fidei nostræ esset. Et quanquam hanc quoq; partem vrget, quod fidei vnitatem, in scripturis fundatam colerent Ecclesię omnes, ab Apostolis edoctæ & institutæ: illud tamen nihilominus retinet, Scripturam perfectæ & absolutæ sapientię scholam esse.

Nõ omnia quidẽ sunt scripta, interim tamẽ quę sufficiũt ecclesię sunt scripta. Ioan 20. In Ioan. Tract. 49.

Porrò tametsi non omnia Christi facta consignata, nec omnes conciones ad verbum excerptæ sunt, ne videlicet in immensum librorum excreseret aceruus, tamen spiritus ea delegit conscribenda, quę ad fidem electorum formandam & confirmandam sufficerent, sicut clarè ex verbis Euangelistę Iohannis docet Augustinus: Nam cum multa feciſſet, inquit, Dominus Iesus, nõ omnia scripta sunt, sicut idem ipse sanctus Euangelista testatur, multa Dominum Christum & feciſſe, & dixiſſe, quæ scripta non sunt. Electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti, credentium sufficere videbantur. Ergo vel Augustino teste atq; suffragatore, ea abundè scripta sunt, quæ spiritus sanctus satis esse iudicauit, ad veram Christi cognitionem & ad vitam beatam consequendam. Augustino sic censuit Cyrillus in Iohannem libro 12. Non omnia, inquit, quæ Dominus fecit conscripta sunt, sed scribentes tam ad mores, quam ad dogmata putarunt sufficere: vt recta fide, & operibus virtute

virtute rutilantes, ad regnum cœlorum perueniamus per Iesum Christum: Hæc ille: neq; verò hinc sequitur inania fuisse quæ scripta non sunt. Fuere tunc vtilissima confirmandę & constituendæ Ecclesiæ Christianæ. Interim tamen fideliſsimè totum Euangelium redactum est in eam summam, quæ ad plenum sufficere posteritati posset.

Excutitur locus Hieremiæ 31. & ostenditur Apostolos per uoluntatem Dei scripsisse Euangelium.

CAPVT IIII.

Locos Ieremiæ 31. & 2. Corinth. 2. nõ obstare quo minus scribere debuerint apostoli.

ADoriuntur nos hoc loco Antichristi satellites, & ex Hieremia telum intorquent, quod quã sit infirmum ad id efficiẽdum quod ipsi conantur, necesse est vt ostendamus. Nimis profectò turpiter abutuntur sacris Dei oraculis, qui his Prophetæ verbis in alienum, ineptum, & absurdum sensum detortis, simpliciori bus fucum facere, & scripturæ maiestatem violare moliuntur. Et quemadmodum in scholis sæpe qui ingenium excolunt, & stylum exercent, eloquentiæ armis, ipsam eloquentiam impugnant, ita isti scripturæ authoritatem, ipsius scripturæ patrocinio deijcere studeant. Sed nebulæ sunt, leui responsionis flatu discutiendæ. Vaticinatur Hieremias, aliud fœdus nomine Dei faciendum, non quemadmodum, cum

Patribus olim initum fuit. Et inter cætera sub Dei persona inquit: Ponam leges meas in mente ipsorum, & in cordibus eorum scribam eas: & ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non docebit vnusquisque ciuem suum, & vnusquisq; fratrem suum dicendo, Cognosce Dominum: quod omnes me scient, à paruo inter eos vsque ad magnum: quoniam propitius ero iniustitijs eorum, & peccatorum eorũ, & iniquitatum non recordabor amplius. Huic vaticinio adiungunt locum Pauli 2. Cor. 3. Epistola nostra estis vos, scripta à nobis non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in carneis cordis tabulis. Ex his locis volũt euincere doctrinę noui Testamẽti proprietatẽ esse, ab ipso Deo ita constitutã, vt nec in tabulis, nec in chartis, nec cálamo, nec atramẽto, vel quouis alio modo literas consignetur, sed viua tantum voce animis auditorũ commẽdetur, & ita sine scripto conseruetur, & permanus tradatur. Quid si cũ Enthusiastis voce Libertinus quispiã excipiat, ne viua quidem voce tradendã esse doctrinã Dei, quando quidẽ Deus ita velit sui cognitione illustrare mentes hominũ, vt se cognituri sint omnes, à minori ad maiorẽ, ita vt nõ opus habeat quisq; docere proximum suum, dicẽs, Cognosce Dominũ. Quid obsecro pro suis traditionibus respondebunt. Audent tamẽ progredi, vt dicãt, preter mandatũ istius factũ esse, quod Euangelistæ & Apostoli literis quædam

commendarint, predicare enim iussisse Dominum non scribere, verbi Euangelici naturam à literis abhorrere. Atqui author Epistolæ ad Hebræos, in media scriptione, dum doctrinam noui fœderis literis exarat, illam sententiã Hieremiæ allegat. Et Paulus iam scripserat vtramque Epistolã ad Thessalonicenses, & priorem ad Corinthios, cum dicit: non atramento, sed spiritu Dei, imò illud ipsum tunc non viua voce tradebat, sed scribebat, pluraq; deinceps scribere proponebat Patet igitur, neq; Apostolos sententiam Hieremiæ, neque Paulum dictum suum, ita intellexisse, sicut nugatores isti fingunt: doctrinam scilicet Christi & Apostolorũ non ferre, vt scripto comprehendatur, & tradatur. Certè si eorum sententia obtineat, sequetur Apostolos & Euãgelistas sceleratè, præter, imo contrà mentẽ Domini doctrinã gratiæ violasse, vtpote qui literis & chartis commendauerint id verbum, quòd & à literis abhorrebat, & cui ea proprietas à Deo fuerat attributa, vt literis nullo modo debuerit commendari. Itáne Stygia eos excæcauit rabies, vt id non animaduertant? Isti, sunt scilicet, qui synceræ doctrinæ professores in odium vocant, & nouitatis insimulant, cum ipsimet nouis, ineptis, & sacrilegis figmentis Ecclesiam ludificent. Quis vnquam ante istos, Hieremiam ita intellexit, aut interpretatus fuit? Acutissimus vir Augustinus in libro quem scripsit de spiritu & litera, Heb. 8.

copioſè hunc prophetæ locum tractat, ſed huius interpretationis ne verbulo quidem memi nit, nec conſentit vllus veterum. Vbi ergo hic, quem tantopere iactant, & requirunt, Eccleſiæ conſenſus? Tantáne væſania eſſe iſtos Gygantes, vtſe vidiſſe putent, quod præclariſsima Eccleſiæ lumina fugerit? Proh pudor, quam inepta, & friuola eſt, quam ſtatuunt, veteris & noui Teſtamenti differentia? Meritò ſanè contemptæ ſcripturæ hoc præmium referunt, vt ſacrile gis ineptijs ſacram maieſtatem eius corrumpant, Videas eos, vt Baſilij verbis vtar, ſtamen flaccidum araneoli pertexere. Sed nos conculcatam à porcis margaritam ſingulari veneratione exoſculemur & ſumma religione cuſtodiamus.

Excutitur locus Ieremiæ 31.

Videamus ergo preclari vaticinij dulciſsimam, & plenam Euangelicæ atq; diuinæ conſolationis ſententiam. Eadem opera apparebit nihil minus Prophetæ veniſſe in mentē, quam quod iſti ex verbis eius eruere ſtudent, imo hunc locum ipſis in primis aduerſari. Porrò ne mini dubium erit, qui huius vaticinij certiſsimos interpretes, Paulum Apoſtolum audiuerit, & epiſtolam ad Hebræos, quin hoc totum ad Chriſti regnum & tempora pertineat, ac diuinum vatē de Chriſti beneficio illo loco concionari. Atq; diſertis verbis Deus ſe nouum fœdus cum populo ſuo percuſſurum proponit, quò prioris medeatur infirmitati, vitiaq; corri-

2 Cor. 3. Hebr. 8.

gat,

gat, quæ in ipsum irrepserant, nulla vtique Dei culpa, sed populi prauitate, qui quasi fœdifragus ab eo discesserat, nec ipsum, iuxta conditiones fœderis, pro Deo suo, credendo, colēdo & legibus eius obediendo habuerat, infirmior enim fuit ob ingenitam vanitatem, corruptionem, & peruicaciam, quā vt se totū potuerit, ad diuinę voluntatis obsequium, perfectamq; illam obedientiā conformare. Quare ipsius perfidia subinde est illud fœdus violatum. Quid igitur faceret Deus? Si summo iure agere, & pœnas violati fœderis reposcere voluisset? fœdifragum populum illicò repudiasset, & vt merebatur abiecisset, æterniscq; cruciatibus addixisset. Sed ingenti vsus misericordia, qua est bonitate & philantropia, miseris hominibus eorumq; imbecillitati parcere maluit, quam iniurias suas inclementius & seuerius persequi. Ergo remedium indicauit, dum se nouum fœdus, cum populo semel sibi cooptato, facturum promittit. Quod quidem fœdus non est nouum, quoad ipsam rem atque substantiam. Non enim mutato hominum more consilio, reuocatum, & irritum factum voluit, quod semel sanciuerat, neq; fœdus nouum iniit à priore penitus diuersum. Est enim immutabili sententia Deus: quanquā quoad proprietates vel qualitates, nouum quodammodo censeri possit. Quod Chrysostomus pulcherrimo simili expressit: Ecce, inquit, & istud nouum existit, cum quædam eius re-

In Hebræos. Homil. 14.

mota sunt, quædam autem manent: vtputa si quis domum vetustam, & ruinosam, totam immutans, & fundumenta noua constituens, cõfestim dicimus, fecit eam nouam: cum vero aliqua quidem eius auferat, aliqua vero immutet. Ergo humanam sortem miseratus Deus, pristinis beneficijs maiora in dies adiunxit: quodq; adhuc rude erat, & inchoatum duntaxat, magis atque magis expoliuit, & perfecit.

Noui fœderis instaurati 3. capita.

Huius noui, seu instaurati fœderis tria potissimũ sunt capita, quibus Deus medetur omnibus intestinis humanigeneris morbis: ipsumque integræ valetudini restituit: hæc sunt, interior reformatio cordium, mentium in Dei notitiam illustratio, & gratuita peccatorum remissio, de quibus inæstimabilibus bonis, tempore Euangelij exhibendis, non Hieremias solũ, sed & reliqui vates vaticinati sunt, & de cordium quidem reformatione atq; correctione, hoc est regeneratione, omnium clarissimè Ezechiel: Spargam, inquit, super vos aquas mundas, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis vestris, atque à cunctis idolis mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in precordia vestra: auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Inseram spiritum meum in interiora vestra, efficiamq; vt ambuletis in statutis meis, & iudicia mea custodiatis, atque faciatis. De mentis illuminatione est illud Esaiæ vaticiniũ: Plena

Ezech. 36. 2. Reforma cordium.

3. Narratio illuminatio Esaiæ 11.

erit

erit terra scientia Domini, perinde ac dũ aquæ maris omnia tegunt. Item: Et erunt omnes docti à Deo. Item illud Ioel, B. Petro interprete: Vsuueniet posthæc, inquit, vt effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt: sed & super seruos meos, & super ancillas meas effundam spiritum meum. De gratuita remissione peccatorum disseruit apertissime Isaiæ in cap. 53. & Daniel in cap. 9. Micheas quoq; vlt. cap. Quis, inquit, similis tibi ò Deus? Qui tollis iniquitatem & transis super peccatum, nec retines iram tam perpetuò. Quoniam delectaris bonitate. Reuertetur & nostri miserebitur, subiget iniquitates nostras & deijciet in abissum omnia peccata eorum.

Ioel 2. Act. 2. 3 Remissio peccatorũ.

Sed num prorsus his bonis caruerunt sancti veteris Testamenti? Nequaquam. Etenim obediendo mandatis Dei, & rectè credendo pũ rè Deũ coluerunt: quod viribus liberi arbitrij, vel naturali facultate nequicquã præstiterunt. Nisi enim in animo ac mente sua per spiritum sanctum conscriptas diuinas leges ac promissiones habuissent, necnon voluntatem per gratiam Dei ad parendum mandatis eius propensam, nequaquam talia obire valuissent. Non itaque defuit eis diuina lux, quæ ipsis ad credendũ & obediendum præluceret. Quin & peccata illis per Christũ condonata fũerunt. Quam-

Differentia veteris & noui fœderis.

obrem illi etiam iſtis bonis fruebantur. Cur igitur in nouo fœdere ſe hæc daturum polliceba-tur? Nimirum quia multò vberius ſub Chriſti regno potentiam ſpiritus ſui exeruit Pater, ſuamque miſericordiam in homines effudit, hæc eminẽtia facit, vt illa exigua gratiæ portio, qua Patres ſub lege dignatus eſt, in rationem non veniat. Ergo diſcrimen tantum in eo fuit, quoad amplitudinẽ, & perſpicuitatem. Nam tum temporis ad admodum paucos ea dona contracta erant, nunc vero gentibus, vulgò ſunt communicata. Erant ea ætate nonnihil obſcura, atque intricata, nobis autem ita reddita ſunt perſpicua, & clara, vt veteri pædagogia non amplius opus habeamus. In hac igitur amplitudine perſpicuitate, veteris pædagogiæ abolitione, & illuſtri Euangelij claritate ſita eſt differentia veteris & noui Teſtamenti, & nõ in illo frigido, inſulſo, ne dicam ſacrilego figmento de non ſcribenda doctrina Euangelij, quod iſti nugatores comminiſcuntur. Quid enim? Enthuſiaſticóne modo ſeu ſine medio tanta dona tempore gratiæ effudit Deus. Nullo modo. Per quódnam ergo medium id effecit? Per Euangelij miniſterium. Per id enim Chriſtus efficaciſſimè vim ſui ſpiritus exeruit, & clariſsimè ſe hominibus patefecit, vberrimeque in humanum genus omnes thezauros opum cœleſtium. Adeo vt legis, Moſiſque legislatoris miniſterium præ Euangelico maximè ieiunum, & aridum,

dum, & vt Paulus loquitur, litera duntaxat mortua deſtituta vitali ſucco diuini ſpiritus videatur. Quapropter idem Paulus cum miniſterij ſui efficaciam commendare vellet, alluſit ad vaticinium Hieremiæ inquiens: Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ cognoſcitur & legitur ab omnibus hominibus dum palam fit vos eſſe Epiſtolam Chriſti ſubminiſtratam à nobis ſcriptam non atramento, ſed ſpiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carneis. Hic diligenter aduertendum eſt, quod quos paulò ante ſuam, mox Chriſti vocat epiſtolam: deinde hæc quæ inter ſe prima fronte videbantur pugnare, ſtatim cõciliat, & explicat, cum ſubijcit, Adminiſtrata per nos. Epiſtola ipſius dici quidem poteſt hoc nomine, quod ſpiritus ſanctus in ea ſcribẽda eo quaſi ſcriba & calamo vſus eſſe videtur: Chriſti vero, quod eius fuerit ſcriptionis author, eamq; Paulo ſuo ſpiritu dictauerit, ipſiuſque ſcribentis manum & calamum direxerit, ac inſuper ſalutarem Euangelij doctrinam in Corinthiorum corda, digito ſuo inſculpſerit, cuius vi, non iam in ſaxeis tabulis, vt antea lex, ſed tabulis cordis carneis impreſſa eſt.

Excutitur Pauli locus 2. Cor. 3.

Hoc eſt igitur pertinere ad nouũ Teſtamentum, inquit Auguſtinus, legẽ Dei habere non in tabulis, ſed in cordibus ſcriptam, hoc eſt, intimo affectu iuſtitiam legis amplecti, vbi fides per dilectionem operatur. Hoc eſt illud dulce

De ſpiritu & litera cap. 26.

cordis bonum, nempe noua in Christo creatura: hoc est illud suaue mentis bonum, quippe illuminatio: hoc fœlix & intelligibile bonum non abducit nos à lege & testimonio ad nescio quas rancidas traditiones, sed condelectatur legi Dei, facitque vt voluntas nostra sit in lege Domini, vtque in ea meditemur die ac nocte. Tametsi alia lex in membris adhuc repugnet legi mentis, donec in nouitate, quę de die in diem in interiore homine augetur, tota vetustas mutata pertranseat, liberante nos de corpore mortis huius gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Psal. 1.

Contra eos qui humanas traditiones ecclesię obtrudere contendũt.

Porrò quis iam ex præmissis non videat, quam iustè in aduersarios retorqueri queat tælum, ex Hieremiæ vaticinio stultè & temere arreptum. Dat legem suam in corda nostra Dominus, & digito suo visceribus eam inscribit, inserit spiritum suum in interiora nostra, efficitque vt ambulemus in statutis eius, & iudicia eius custodiamus, atq; faciamus, illustrat mentes nostras cognitione sui, condonat liberaliter peccata nostra, & abolet iniquitates nostras: hunc igitur sanctificemus & glorificemus, atq; auersemur impostores istos, qui nobis doctrinam hominum commentis vitiatam atque adulteram, pro vera Ghristi & ipsius Ecclesiæ doctrina obtrudũt, ignibus, flammis, aqua, ferro, & laqueo plusquam Neroniana aut Diocletiana crudelitate adire conantes, vt eam idcirco

pro

pro diuinis oraculis amplexemur, quod hominum decretis & concilijs approbata & confirmata sit, Vt ita non Christi, summi & cœlestis magistri, sed hominũ facti discipuli, non à Dei sed ab hominum authoritate pendeamus, eaq; colamus religione, non quæ fuerit legibus ipsius præscripta, sed quam humana temeritas atque audacia excogitarit, suppositeque. Tanta est scilicet religione vestita crudelitatis ferocia. Samaritani posteaquam à muliercula suæ gentis excit, Christum ipsum ipsimet audiuisse sent, responderũt, se non amplius propter mulieris sermones Christo credere, sed quod ipsimet Christum audiuissent. At nos, quantò rectius istiusmodi mentium seductoribus qui nos non ad Christum, vt Samaritis illa mulier, adducere, sed ab eo auertere quoquo modo student, respondebimus, nos neutiquam ipsis credere, sed Christo: nec ipsorum causa Euangelium amplecti, sed quod Christum ipsum audiuimus docentem: neque nos ideo impia ipsorum commenta approbare, & recipere, quod prætextu Ecclesiæ & conciliorum ea nobis venditent, sed constanter repudiare & execrari, quod manifestè cum Dei veritate pugnent, quodque Dei authoritatem humanæ subijcere conentur. Ioan. 4.

Illud vero quantæ vecordiæ est, quod aiunt sine voluntate Domini factum esse, quod Apostoli & Euangelistæ Euangelium scripserint: cum in prima scriptura noui Testamenti, hoc est, Iussu & voluntate Dei scripserunt apostoli.

est, in epistola Apostolicę Synodi expresse legatur hoc emblema: Visum est spiritui sancto, & Paulus testatur totam scripturam diuinitus esse inspiratam, Denique Ioannes in Apocalypsi toties ad institutionem Ecclesiæ iubetur scribere. Sed & Dominus ipse loquens testatur, vos nō estis illi loquentes, sed spiritus patris mei loquetur ex vobis. In eundem vero gradum collocamus loqui & scribere: vt qui dixit, ite in mundum prædicate & docete, subintellexerit propagandum esse Euangelium etiam scribendo, cum scriptio plane pertineat sub doctrinam. Demum Ecclesia Catholica vnanimi suffragio testatur libros noui Testamenti ex instinctu spiritus sancti conscriptos esse, Siccine isti, quibus vel minimum ab Ecclesię consensu recedere exitiale est quoties libet, non tantum ab eo recedunt, verumetiam ex diametro cum eo pugnant? Iuuat hoc loco repetere atque excutere nuper citatam Irenæi pulcherrimam sententiam, vt istorum amentia vel pueris liqueat. Ea sic habet. Sola vera & viuifica fides est, quam ab Apostolis Ecclesia percępit, & distribuit filijs suis. Etenim Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Euangelij, per quos & veritatem, hoc est, Dei Filij doctrinam cognouimus, quibus & dixit Dominus: Qui vos audit, me audit, & qui vos contemnit, me contemnit, & eum qui me misit. Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quam per

Act. 15.
2. Tim. 3.
Lib. 3. cap. 1.

per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos: quod quidē tunc præconiauerunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Hæc Irenæi sententia in genere loquitur de scriptura noui Testamenti, cuius authoritatem, perfectionem, & sufficientiam, firmissima demonstratione ostendit. Illa est extra controuersiam sola vera & viuifica fides, quam primitiua Ecclesia ab Apostolis accepit, & filijs suis distribuit. Hæc fides initio concepta fuit ex ea doctrina, quam Apostoli à Filio Dei acceperant. Hanc vero doctrinam, ex qua nata fuit fuit primitiuę Ecclesię fides, Apostoli primum sine scripto viua voce tradiderunt. Postea eandem doctrinam in literas retulerunt. Quo consilio? Humano ne? Nó, sed per voluntatem Dei. Eandem ne doctrinā inlit eras retulerunt? Prorsus eandem, quam à Filio Dei acceptam viua voce prædicauerant: ex qua sola veram ac viuificam fidem primitiua Ecclesia ab Apostolis acceperat, & filijs suis distribuerat. Quorsum hoc? Num vt particulares illæ tantum Ecclesię, quibus inscriptæ sunt Apostolorum Epistolæ, pro præsenti tantū necessitate scriptis illis vterentur? Ne utiquā. Nobis, nobis inquā Apostoli id quod prædicauerunt in scripturis tradiderunt. Memento Apostolicas epistolas, inquit Augustinus, non eis tantū scriptas, qui tempore illo quo scribebantur audiebant, sed etiā nobis:

Nobis etiā scripta sunt quæ ab apostolis sunt scripta.

Contra Cresco. Grammat. lib. 1. cap. 9

non enim ob aliud in Ecclesia recitãtur. Quem vero illius scripturæ vsum Apostoli in Ecclesia esse voluerunt? Respondet Irenęus: Vt id quod in scripturis nobis tradiderunt, in futurum esset fundamentum & columna fidei nostræ, illius scilicet verę & viuificæ quã ab Apostolis Ecclesia percepit & distribuit filijs suis: fundamẽtũ igitur & columnã fidei habemus nos in scripturis quas Apostoli per Dei volũtatem nobis tradiderunt, Fides igitur quæ aliunde quam ex scripturis ab Apostolis traditis, cõcipitur, probatur, & confirmatur, nõ est vera viuifica, Apostolica, & primitiuę Ecclesiæ fides. Hæc ex Irenæi demonstratione manifestissimè, & firmissimè cohærent. Ostendit igitur Irenæus in illa sententia, quo consilio Apostoli doctrinã suam in scripturis nobis tradiderint, & quem scripturæ eius vsum in Ecclesia esse voluerint: vt scilicet esset fundamentũ & columna fidei nostræ, qui viuam Apostolorum vocem non audiuimus. Nam quę ibidem Irenæus dicit de scripturarum accusatoribus postea videbimus.

Quo consilio scripserint Apostoli.

Atque vt adhuc magis liqueat sacrilega vanitas eorum qui dicere audent non factum esse ex mandato Christi quod Euangelistæ & Apostoli quædam literis commendarint, adducam hac de re clarissimum S. Augustini testimonium. Is libro primo de consensu Euangelistarum capite vltimo sic inquit: Omnibus autem discipulis suis, per hominem quem assumpsit,

Augustinus refert apostolica scripta ad ipsum scriptorem authoremq; dominum.

tanquam

tanquam membris sui corporis, caput est. Itaque cum illi scripserunt, quę ille ostendit & dixit: nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognouerunt. Quicquid enim ille de suis factis & dictis nos VID
legere voluit, hoc scribendum illis, tanquã suis manibus imperauit. Hoc vnitatis consortium, & in diuersis officijs concordium membrorum sub vno capite ministerium, quisquis intellexerit: non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in Euangelio legerit, quã si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentẽ conspexisset. En, quid hoc sanctissimi viri testimonio euidentius esse posit? Scripsit in discipulis Christus, quandoquidem illi scripserunt, quod ipse ostendit & dixit: atq; adeo quicquid de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperauit, vt narrationem Euangelistarum non aliter accipere debeamus, quam si ipsam manum Domini scribentem conspexissemus. Ecquid pudet vanissimos homines, in tã clara luce nebulas spargere? M. Scaurus cum à Vario quodam pro rostris proditionis accusaretur, Varius, inquit, Sucrenensis ait M. Aemilium Scaurum Rempub. prodidisse. M. Aemilius Scaurus negat, vtri creditis? Ad hanc vocem populus statim accusationẽ repulit. Quanto iustius mihi in hac controuersia æquos iu-

dices compellare liceat, Vetustissimi & sanctissimi patres Irenæus, Augustinus, adeoque totius Catholicæ Ecclesiæ consensus affirmant Apostolos & Euangelistas doctrinam Christi iussu & voluntate Domini scripto complexos esse, Herinati, Pighij, Peresij, Lindani, Andradij, id negant, amabo vtris credimus? Desinant igitur oblatrare tam claræ veritati, cessent eleuare sacrosanctam Scripturæ authoritatem, quin potius ab errore & insania resipiscant.

Omnia quæ sunt fidei, pietatis, & salutis, plenè & sufficienter in Scriptura tradita esse.

CAPVT V.

DEiectis de suo præsidio vi veritatis aduersarijs, liberior cum illis tanquam in aperto campo congrediendi erit copia. Supereſt ergo vt fusius nunc persequamur, quod paucis nuper attigimus, scilicet vt ostendamus omnia quæ sunt fidei & pietatis plenè & absolutè in Scriptura tradita esse. Et legem quidem adeo perfectam dedit Deus, vt quicquā ad eam adijci diserte vetuerit. Et quam seuerè illam audaciam vltus sit Dominus, si quid in ritibus (nedum in doctrina) adiectum esset, tot prophetarum legis interpretum de his rebus grauissimæ conciones, tota sacra hystoria, ipse deniq; Christus est luculentus testis. De Euangelio, cum

lege

lege multò sit excellentius, idem debet esse iudicium. Nisi forte minus Ecclesię Deum cauisse putabimus misso in terras Filio suo: vel Apostolos minus in ea re quam Prophetas diligentes fuisse arbitrabimur. Exclamat Tertullianus, fœlicem esse Ecclesiam cui omnem Dei doctrinam Apostoli vna cum sanguine profudissent. Testatur Paulus Ephesijs sese omne Dei consilium, de salute æterna videlicet, ipsis absque vllo prorsus subterfugio exposuisse. An demonstrari potest Paulum quicquam docuisse quod non perscripserit? An plenam doctrinam Euangelij in eius scriptis dilucidè comprehensam esse negari potest? Sed ne longum faciam contentus ero vnam, sed valde luculentam Pauli sententiam adducere. Etenim ea excussa perfectionem, & sufficientiam Scripturæ liquidò ostendet. Is igitur circa finem vitæ suę, cum iam conscripti & æditi essent libri noui Testamenti, ita Timotheum Episcopum alloquitur: At tu permane in ijs quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris: Teq; à puero sacras literas nouisse, quæ te possunt sapientem reddere in salute per fidem, quę est in Christo Iesu. Tota scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia. Vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus. Huc accedit locus Rom. 15. Quæcunq; præscripta sunt,

Act. 20. Ephes. 3.

Excutitur locus apostoli 2. Timoth. 3.

in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem, διὰ τῆς παρακλήσεως, ſcripturarum ſpem habeamus. Quibus duobus locis expenſis conſtabit Scripturam omnibus numeris abſolutã eſſe. Etenim ijs Apoſtolus complectitur omnem vſum ſacrarum ſcripturarum, eumque quinque capitibus diſtinguit. 1. Doctrina διδασκαλία ſignificat dogmata religionis noſtræ, veluti cum de Deo, Deiq; prouidentia, de præſtinatione, de iuſtificatione & glorificatione hominum, de lege, de peccato, de Euangelio, de fide, charitate, ſpe, de Chriſti incarnatione, de morte & reſurrectione eiuſdem, de reſurrectione omnium mortuorum, deque ſimilibus diſſeritur. 2. Redargutio ἔλεγχος eſt qua redarguuntur, & conuincuntur, qui non rectè argumentantur, & vitioſe colligunt. Vnde Ariſtoteles partem Dialectices, qua monſtrat ratione retegendi dolos ac fraudes Sophiſtarum, de elenchis inſcripſit. Eſt igitur redargutio, qua errores hæreticorum, philoſophorum, vel quorumcunque de religione malè ſentientium, reuincuntur, & confutantur. 3. Inſtitutio, παιδεία complectitur inſtitutionem pię vitæ, & informationem morum: vt cum admonetur cuiuslibet ordinis homines ſui officij, vt cuique ſuum officium curæ ſit, vt cum docetur quid deceat Eccleſiæ miniſtros, quid maritos, vxores, liberos, quid dominos, quid ſeruos, quid diuites, quid pauperes. Item cum adhortationes

1. Doctrina.

2. Redargutio.

3. Inſtitutio.

tationes fiunt ad orationes, ad eleemosynas dãdas, ad ieiunium, ad obedientiã erga magistratus, ad pœnitentiã, vel ad virtutes quascunque capessendas. Latissimè enim patent quę huius sunt loci. Nam sub institutionibus comprehenditur omnis doctrina de virtutibus ac vitijs, cõprehenditur quicquid ethicen, politicen, œconomicen concernit: quicquid ad Ecclesiam, ad Rempublicam, ad omnia vitæ genera referri potest. Affinis est institutioni νουθετία admonitio, de qua 1. Cor. 10. Hæc omnia inquit in figura contigerunt illis, scripta vero sunt ad monitionem nostri. Pertinet hæc ad vitæ institutionem, & emendationem: quod exempla quę ab Apostolo adferuntur, totaque orationis series testatur. Ait enim Patres qui ex Aegypto migrarunt fuisse quidem baptizatos, fuisse item refectos cibo ac potu spirituali, perinde atque nos: attamen quando à peccatis sibi non temperarunt, grauiter à iusto numine punitos, atque internecione deletos. Eorum igitur exemplis vult Apostolus Christianos omnes admonitos, vt quamuis baptizati sint, atque corporis sanguinisque Christi spirituali cibo refecti, non tamen id satis esse ad salutem ducant, sed desyderari insuper, vt piè & innocenter viuãt: quod ni faciant, exemplo veterum perituros. Admonitio.

4. Correctio, ἐπανορθώσις, est qua arguuntur, corriguntur, & instaurantur, si qua in vita & moribus hominum neglecta vel collapsa apparent. 4. Correctio.

Itaque reprehenduntur ea homines propter contemptam doctrinam religionis, propter hypocrisin, fastum, ambitionem, auaritiam, dissidia, ebrietatem, libinem & eiusmodi reliqua, atq; ostenditur quomodo qui peccarunt emendari & debeant, & possint. 5. Consolatio παράκλησις, est qua eriguntur confirmanturque eorum animi, qui vel propter errorem in doctrina, vel per crimen in actionibus, vel per aliud incommodum, siue spirituale, siue corporale consternati, abiectique sunt. Ad summam doctrina & redargutio versantur in explicatione dogmatum: institutio, siue admonitio atque correctio de vita arguunt & moribus. Ad illas duas referuntur capita fidei, ad has vero officia charitatis: sicut ad consolationes propriè pertinent quibus spes excitatur. Illæ duæ complectuntur theoriticen, atq; erudiunt hominem internum: hæ duæ praxin, & laborant in erudiendo homine externo. Illæ duæ discernunt veram doctrinam à falsa, quando altera strenuè confirmat verum, altera argutè confutat falsum: hæ duę discernunt actiones pias & honestas ab impijs, & inhonestis, nam pias quidem altera docet, atq; vrget, impias vero altera seueriter carpit, & studet emendare.

5. Consolatio.

Atq; hæc quidem de doctissimo Hyperio huc transcripsi, de quibus omnibus cũ scripturarum fons vberrimus saluberrimas atq; suauissimas præceptones abundè præstet, nonne largiter

largiter, id ſuppeditat, quo totus homo tã inter nus quã externus fide, charitate & ſpe ritè imbu atur? Vt ſaluberrimè Timot. monuerit Paulus, attẽderet ſibijpſi & doctrinæ: id enĩ ſi fecerit, & ſeipſum ſeruaturus ſit, & eos qui ſe audierint.

Rectè igitur docent nuper citati & Auguſtinus ab Euangeliſtis & Apoſtolis ea conſcripta eſſe, quæ ſcribentes ſaluti credentium, tam ad mores quam ad dogmata ſufficere iudicarunt: vt recta fide & operibus ac virtute rutilantes, ad regnum cœlorum peruenirent per Ieſum Chriſtum. Quibus ſuccinit Chryſoſtomus, diſſerens de ſacrarum ſcripturarum præſtantia: quicquid, inquit, quæritur ad ſalutem, totum iam impletum eſt in ſcripturis. Item: Omnia Euangelium continet, & præſentia, & futura, honorem, pietatem, fidem, ſimul omnia pietatis verbo concluſit. Aſtipulatur & Athanaſius contra Gentes: Sufficiunt, inquit ſacræ & diuinitus inſpiratæ ſcripturæ ad omnem inſtructionẽ veritatis. Omitto quæ plura huc afferre poſſem ex S. Patribus teſtimonia, quæ de perfectionẽ, plenitudine & ſufficientia ſcripturæ diſertè teſtãtur. Cõcludo igitur omnia quæ integritatẽ hominis Dei concernunt, copioſe in Scriptura complexa eſſe. Vt ſapientiſsimè Paulus Euangelicum paſtorem monuerit, ex vno ſcripto Dei verbo ſapere oportere, in quo perfectè tradantur, quæcunque tùm ad vera dogmata cognoſcenda, & ſtabilienda, falſa verò refellenda:

1. Tim. 4. Patres quoque teſtantur uiã pietatis plene tradi in ſcripturis.

In Matth. 22. Hom. 1.

In Titum Homil. 1.

cum ad malos quidem mores corrigendos, bonos autem instituendos pertinent. Falso igitur aduersarij de angustijs & imperfectione Scripturæ quiritantur, vanè etiam, non omnia quæ sunt fidei sacrarum literarum monumentis consignata esse contendũt. Sicut ex ijs quæ sequuntur clarius liquebit.

Scripturam ad corrigendos prauos mores, & refutandas hæreses diuinitus datam esse. Ex hac sola religionis controuersias esse iudicandas. Eamq; neque obscurã neque ambiguam esse.

CAPVT VI.

BAsilius Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus in initio, Homiliæ in Psalmum primũ. Scriptura omnis inquit, diuinitus inspirata, & vtilis, hac vna ratione à spiritu sancto conscripta astruitur: vt ex ea, haud secus atque è communi quapiam curandarum animarum officina, medelam suo quisque morbo salutarem & accommodam queat seligere. Bene & sapienter Basilius, quando, quæcunque ad veram pietatem, & vitam nostram instituendam pertinent, abundè satis comprehẽsa & tradita sunt in Scri
2. Timot. 3. ptura, sicut ex præmissis liquet. Potest hæc hominẽ Dei sapientẽ reddere in salute per fidem quæ est in Christo Iesu, quippe quæ diuinitus ideo tradita est, vt ex ea, & sola quidem, vera doctrina

ctrina confirmetur, falsa verò refutetur: boni itē mores instituātur, praui verò emendētur. Sicut pulcherrimè docet Homi. 1. in Matth. Oportuerat quidē, inquit, nihil nos indigere literarum auxilio, sed tam mundam in omnibus exhibere vitam, vt librorum vice gratia Spiritus vteremur. Quia verò hanc nobis excusimus gratiam, age vel ad secundam nauigationem animum adijciamus. Ita patriarchis Deus non per literas, sed per semetipsum locutus est, quia nuda eorum corda repererat. Postquam verò omnis Iudæorum populus in vitiorum ima delapsus est, necessariò inde dantur literæ, ac tabulæ, & ea, quę per has administratur admonitio, Et hoc non tantum veteris Testamenti sanctis, sed etiam noui accidisse perspicimus. Siquidē nec Apostolis scriptum aliquid tradidit Christus, sed pro literis spiritus sancti se illis daturū gratiam repromisit. Et hoc ille esse multò melius testatur Hieremias cap. 31. Et Paulus 2. Corinth. 3 Quia verò progrediente tempore, quidam propter dogmata, alij propter morum improbitatem grauiter impegerunt: ea rursus quę literis constat, opus fuit admonitione. Et addit: Consydera quam sit extremæ dementiæ, qui primam illam dignitatem perdidimus, ne secundo quidem remedio vti velle ad salutem, sed cœlestia scripta, quasi frustra ac vanè posita, despicere. Hic locus Chrysostomi non tantum ostendit propter quam causam, & in quē

Egregius D. Ioannis Chrysosto. locus de Scriptura.

vsum Deus Scripturam nobis tradiderit, non tantum in Veteri, sed etiam in nouo Testamento: verum etiam vanitatis coarguit Pōtificios, qui ex Hieremia & Paulo disputant doctrinæ noui Testamenti proprium esse à Deo inditum, vt nec in tabulis, nec in chartis, nec calamo, nec atramento, nec quouis alio modo scribi possit, sed vt sine scripto conseruetur, & per manus tradatur. Nugæ: Quoniam Chrysostomi testimonio primam illam dignitatem, quando sine literis sola viua vōce tradebatur doctrina Apostolica, amisimus, ita vt nunc scripta sit opus admonitione. Sed quia de hac re supra disseruimus, nunc plura dicere supersedeo.

Aliorū patrū de eadē e testimonia.

Et quod Chrysostomus fusius dixit, Theophylactus paucis, vt solet, complexus est: Quoniam, inquit, hæreses pullulaturæ erant, quæ mores nostros depascerentur, operepretium visum est, vt scriberentur Euangelia: quod discentes ex illis veritatem, non deciperemur ab hæreseon mendacijs. Astipulatur & Hieronymus: Sicut enim neceſſe fuit, inquit, ad confirmationem fidei Euangelium prædicari, sic & contra hæreticos scribi. His accedit Augustinus, qui in Epistolā Ioan. Tract. 2. inquit, Maximè debetis animaduertere, & memoriæ vestræ mandare, quod contra insidiosos errores Deus voluit ponere firmamentum in scripturis: contra quas nullus audet loqui, qui quoquomodo se vult videri Christianum. Cum enim palpandum se præbu-

præbuiſſet, non illi ſufficit, niſi de ſcripturis confirmaret cor credẽtium. Proſpiciebat enim nos futuros. In quo nos palpemus, non habemus: & quod legamus habemus. En in ſcripturis voluit Deus contra errorum inſidias ponere firmamentum: ſunt igitur ex ſcripturis reuincendæ hæreſes, & dijudicanda dogmata. Hoc clypeo, hoc gladio, his armis repellendæ ſunt. Eſt enim Scriptura veluti præſeruatorium quoddam aut tutelare amuletum, aduerſus cuiuſcunque erroris venena præmunies.

In omnibus controuerſijs recurrendum ad ſcripturas, non hominum authoritatem.

Hinc eſt quod veteres, quoties in religione controuerſiæ exortæ eſſent, ad Scripturam magis, quàm ad Concilia, aut vllam hominum authoritatem confugerint, quando illa ſola κριτήριον eſt, firmum, ſolidum, atque ſanctum Huius vnius armis ecce inſtructus, Paulus aduerſus Iudæos quantumuis duros & peruicaces diſputauit, ſi verum refert Lucas. Et laudat ſpiritus ſanctus Berroenſes Iudæos, qui cum recepiſſent cum omni promptitudine verbum, inueſtigabant ex ſcripturis an hæc ita ſe haberent. Præclarè ad Maximinum Aug? Neque ego ſynodum Nicænam, inquit, nec tu Ariminenſem debes, tanquam præiudicaturus afferre. Nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum authoritatibus non quorumcunque proprijs, ſed vtriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione certet. Creſconius Grammaticus cum

Actor. 9.

Actor. 17.

Libro 3. cap. 14.

Cõtra Cresconiũ lib. 3. cap. 32.

Augustino disputans obijciebat ei authoritatem Cypriani. Respondet Augustinus: Ego huius epistolæ authoritate non teneor: quia literas Cypriani non vt Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis consydero: & quod in eis diuinarum scripturarum authoritati, congruit, cum laude eius accipio: quod autem non congruit, cum pace eius respuo. Contra Faustum lib. 23. Quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quod Canonicum non est, non me astringit. Item in Psalmum 57. Auferantur chartæ nostræ, procedat in medium codex Dei. Audi Christum dicentem, audi veritatem loquẽtem. Et meritò quidem hæc scribit vir Dei Augustinus, quando hunc Scripturæ honorem tribui decet, vt ad eius examen exigantur omnia. Quicquid eius authoritate comprobatur, non vocetur amplius in dubium: rursus nihil nisi quod cum ea conuenit recipiatur, quicquid diuersum est, sit pro damnato, vt ab ea sola pendeant, & in ea consistant vniuersæ fidei definitiones. Vt ipsa vanitate vaniores esse deprehendantur, qui scribere audent, Apostolos quædam conscripsisse, non vt scripta illa præessent fidei & religioni nostræ, sed vt subessent. Sozomenus refert in Synodo Nicæna variasse sententias: Alijs consulentibus nihil innouandum præter fidem ἀρχαίων traditam: alijs verò affirmantibus non esse adhærendum vetustis opinionibus

nionibus ἀβασανίστως temere, sine inquisitione, & examinatione: proinde varijs quæstionibus causa protrahebatur. Constantinus igitur Imperator assidens inter Episcopos, hortatus est eos ad placidam collationem, & ad inquisitionem veritatis, omissa Sophistica, & deposita animorum acerbitate. Extant, inquit, Apostolici libri, & prophetarum sanctiones, quæ nos erudiunt, quid de rebus sacris sentire debeamus. Posito igitur hostili certamine, ex scriptis diuinitus inspiratis quæstionũ quæramus solutionem, Prorsus eodem modo Euagrius de Ephesina & Chalcedonensi synodo scribens recenset Iohannis Antiocheni sententiam à Cyrillo approbatam: Ex Euangelicis & Apostolicis de Domino vocibus scimus viros diuinos constituisse. Et Cusanus scribit formam veterum synodorum vniuersalium fuisse, vt sacra Euangelia ponerentur in medium. Quod & in priuatis de religione disputationibus obseruatum fuisse Augustinus est testis. Vbicunque inquit locus constitutus fuerit, faciamus codices Canonicos præsto esse. Et si qua proferri potuerint ex vtraque parte documenta, vt postpositis cæteris, rem tantam ad inquisitionis terminum perducamus. Est igitur legitimũ Scripturæ examen ad probandas doctrinas. Stemus itaque, vt verbis Basilij vtar, arbitratu inspiratæ à Deo scripturæ, & apud quos inueniuntur dogmata diuinis oraculis consona, illis omnino ve

Theodoretus libro 1. cap. 7.

Libro 2. cap. 16.

Epist. 163.

Epist. 80.

ritatis adiudicetur sententia.

Cypriani elegans sententia.

Libet hoc loco ascribere pulcherrimam Cypriani sententiam, quam Augustinus dicit sine dubitatione optimam esse. In compendio est inquit apud religiosas mentes, & errorem deponere, & inuenire atque eruere veritatē. Nam si ad diuinæ traditionis caput & originem reuertamur, cessat error humanus: Si canalis aquæ, qui copiosè prius & largiter profluebat, subito deficiat: nōne ad fontem pergitur, vt illi co defectionis ratio noscatur, vtrumne arescentibus venis in capite siccauerit, an verò integra inde & plena procurrens, in medio itinere destiterit? Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes: & in aliquo si nutauerit, & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam, & Euangelicam, & Apostolicam traditionem reuertamur: & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit. Extāt hæc in epistola ad Pompeianum cōtra Epistolam Stephani. Sunt igitur veterum omnium consensu, scripta Prophetica, & Apostolica normæ iudiciorum in omni probatione, examinatione & dijudicatione dogmatum.

Excutitur locus Tertul. De præscript. hæreti.

Scio Tertullianum alicubi scribere, ad scripturas non esse prouocandum, nec in his constituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Sed attende contra quos agat. Sic enim paulò ante hæc verba habet. Ista hæresis non recipit quasdam scripturas:

pturas: & si quas recipit, adiectionibus & detra ctionibus ad dispositionem instituti sui interuertit. Et si recipit, non recipit integras. Et si ali quatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones cõmentata conuertit. Tãtum, veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus: variæ præsumptionis, necessario volunt agnoscere ea per quæ reuincuntur, &c. Cum igitur apud tales nihil proficeret congressio scripturarum, negat agitandas de fide contentiones ex scripturis. Quod orthodoxi sine fructu se fatigarent, & hæreticorum petulantia coerceri non posset, quin centies victi adhuc litigarent. Vult igitur inutilibus concertationibus finem imponi, præsertim cum Apostolus vetet cum hæretico homine, post vnam aut alteram admonitionem amplius disceptare. Alioqui quid ipse tot libris facit? Quo gladio? quibus armis Marcionem, Praxeam, Hermogenem & alios conficit, nisi simplici verbo Dei? Ergo vbi res postulat, non verbis modo, sed exemplo quoque demonstrat, non aliter quàm ex ipso Dei verbo, & disputandum, & definiendum. Neque aliam sequuti sunt rationem orthodoxi omnes, cum rectam puramque fidem aduersus hæreticos defenderẽt, sicut iam ostendimus. Patent, inquit Augusti. libri Dei: non auertamus aspectum. Clamat Scriptura, ad hibeamus auditum. Non enim humanã, sed diuinam authoritatẽ ad quæstiones soluendas ac-

que sanandos valere voluerunt.

Hæreticos ex scripturis esse reuincendos.

Reclamant tamen Pontificij, nequaquam ex sola Scriptura dirimendas esse controuersias, aut iudicium de fidei negotio faciendum. Eam etenim impijs & ambitiosis hæreticorum cõmentis subiacere, & in varios sensus torqueri posse, dubiam & obscurã esse contendunt, itaq; ad Ecclesiæ definitionem rectà nos reuocant: quæ vt nullis calumnijs est obnoxia, ita pro vera & certa fidei regula habenda sit. Solenne est istis Sophistis vt mentes hominum à Scriptura ad Ecclesiæ suæ traditiones, hoc est, à diuina authoritate ad humanam auertant, de scripturarum ambiguitate, difficultate, & obscuritate declamitare. Neque nouum est hoc artificium, vsi sunt eo & veteres hæretici, qui cũ ex scripturis arguebantur, cauillabantur eas variè esse dictas, hoc est, vt nostri loquuntur, ambiguas, flexiloquas, incertas: item quod non possit ex his inueniri veritas, si quis nesciat traditionem, hoc est, vt nunc loquuntur esse insufficientes. Neq; per literas traditam veritatẽ, sed per viuam vocem, ob quam causam & Paulũ dixisse: Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiã autem non mundi huius. Quin & Iulianus ille Pelagianus, cum quo tantopere conflixit Augusti. & cuius verbis & argumentis nostri isti in disputationibus haud illibenter vtuntur, exaggerare solebat, quam esset difficilis, pauciscq; conue-

Irenæus li. 3. cap. 2.

Aduersus Iulia. lib. 5. cap. 1.

conueniens eruditis sanctarum cognitio literarum. Nec pudet istos hæretici hominis sententiam tantum non adorare. Atqui Paulus, dum fidem ex verbi auditu esse asserit, non modo veram & certam, sed vnicam facit fidei regulam. Verum vbi cum hæreticis est certamen, parum proderunt scripturæ, vtpote quas illis promptũ est eludere. Atqui ego verbum Dei gladium illum spiritus esse putabam, quo totus Satan sterneretur. Si aduersus hæreticorum omnium caput, dominũ & magistrum, gladius victor est ac triumphalis, quî fit vt aduersus membra retusum sit, & quasi arundineum telum? Quorsum verò illud Pauli elogium: Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad instituendum: vt integer sit homo Dei? Etsi vero magna sit hæreticorum & Sophistarum omnium vafrities in torquendis & deprauandis scripturis, tamen non sic patet eorum ludibrijs Dei veritas, quin ab illis fortiter vindicari queat. Possunt solem ad tempus obumbrare nebulæ: sed eius fulgorem neque extinguere, neque suffocare possunt, quin tandem exuperet.

Rom. 10.

Ephes. 6.

2. Tim. 3.

Iam cum Augustinus docet in his quæ aperte in scripturis posita sunt, inueniri illa omnia quæ continent fidem moresque viuendi, spem scilicet atque charitatem, cuius improbitatis est Scripturam obscuritatis insimulare?

Scriptura illustris est, nõ obscura, Psal. 19.

Phil.19. Non sic ille qui dicebat: Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis. Item: Testimonium Domini fidele, sapientiam præstãs paruulis. Item: Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quod mandata tua quæsiui.

2.Pet.1. Item Petrus ait habere nos firmiorẽ sermonem propheticũ, cui attẽdere debeamus ceu lucernæ ardenti in loco caliginoso, donec lucifer exoriatur in cordibus nostris. Siccine perplexas, intricatas, difficiles dicent scripturas, quibus Petrus claritatẽ tribuit, quæ nos certò regere possint, ne vel in profundissimis mundi tenebris aberremus? Quod enim Dominus omni creaturæ Euangelium prædicari præcepit, id omni quoque creaturæ notũ facere promisit, si quis id petat. Proinde quæ sunt salutis vbiq; in scripturis adeo disertè, perspicuè, atque abundè proposita, exposita & inculcata sunt, vt ad ea intelligenda sola Euangelistarũ narratio, aut assidua cæterorũ librorũ lectio sufficiat, animo nimirũ illustrato lumine fidei, sine quo nihil religionis cognosci solidè potest: & obediendi Dei cupido.

Ioan.7. Quę duo nimirum fides, eiusq; comes obedientiæ studium, omnino necessaria sunt ad ea rectè percipienda quæ Christi sunt, vt ex his verbis Domini cognoscitur, Mea doctrina nõ est mea, sed eius qui me misit. Si quis velit voluntatem eius facere, is cognoscet de doctrina, vtrum ex

Ioan.5. Deo sit, an ego à meipso loquar. Itẽ: Quomodo

pote-

poteſtis vos credere, cũ gloriã à vobis inuicem accipitis, & gloriã quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? Alioqui ſi velatũ eſt Euangeliũ, in his qui pereunt, velatum eſt: in quibus Deus huius ſæculi excęcauit mentes infideliũ, ne illuceſcat ipſis lumen Euangelij. 2. Cor. 4. Fateor ſanè non cuiuis facilem eſſe dogmatũ dextram explicationem, & Eccleſiarum conſenſui ſuum in definiendis fidei quæſtionibus locum relinqui volo, ita tamen ne à Scriptura diſiungatur, ſine qua parum firmitatis habet Eccleſiæ magiſterium. Cumque per ſcripturarum teſtimonia, cætera in religione comprobari omnia & demonſtrari neceſſe ſit, ſicut modo declarauimus, ipſa ſint omnium quæ de religione prędipi poſſunt certiſsima & clariſsima oportet.

Patres quoque ſcripturam cõmendant à claritate. De peccatorum meritis & remiſſ. lib. 2 ca. 56

Hinc eſt quod ſancti Patres ſcripturam à luce, à claritate, certitudine, perſpicuitate nobis commendant, tãtum abeſt vt incertam, intricatam, difficilem, flexiloquam eſſe querantur. Præclarè Auguſtinus: Vbi, inquit, de re obſcura diſputatur, non adiuuantibus diuinarum ſcripturarum certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil faciens in alteram partem declinando. Huic ſententiæ quis obſecro erit locus, ſi non firmam ac conſtantem, nulliſque machinis expugnabilem in ſcripturis certitudinem habeat Dei veritas? Itaque poſtea concludit, credere ſe nihil ad ſalutem neceſſarium eſſe cognitu, quod

non habeat clarissimam in scripturis approbationem. Subijciemus adhuc pauca de scripturæ claritate & facilitate testimonia. Cyrillus contra Iulianum libro septimo respondens obiectioni, quod Scriptura vulgarem & protritam habeat dictionem, inquit: Vt omnibus essent nota paruis & magnis, vtiliter familiari sermone commendata sunt, ita vt nullius captum transcendant. Cui sententiæ succinit Lactantius: Num Deus mentis, & vocis, & linguæ artifex, disertè loqui non poterit: imo verò summa prouidentia carere fuco voluit ea quæ diuina sunt, vt omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur. Et Basilius in Hexaemeron Homil. 3. dicit: veritatis doctrinam vulgarem quidem sermone, stabilem autem firmamque cognitione. Chrysostomus Homilia 1. in Iohannem: Huius doctrina sole clarior est, & illustrior. Item Ambrosius: Paulus in plerisque ita se ipse in suis exponit sermonibus, vt is qui tractat, nihil inueniat quod adijciat suum: aut si velit aliquid dicere, grammatici potius quam disputatoris fungatur munere.

Desino plura de scripturarum perspicuitate & facilitate recitare testimonia: quid enim opus est? Profecto horrenda blasphemia est dicere spiritum sanctum hanc suam doctrinam, quæ sola veraque sapientia & intelligentia Ecclesiæ sit, sic tradidisse perplexè, vt eam huma-

humana ſapientia explicari: ſicque obſcuram, vt humana ſcientia illuſtrari oporteat. Quod non minus abſurdum eſt, quam ſi quis Solis fulgorem vellet iuuare accenſis tædis pineis. Quin ipſe diuinæ literæ per ſe, traditæ videlicet à perfectiſsimo omnium doctore, ſapientem reddere valent ad ſalutem, vt Paulus prædicat. Sed vt tandem ad concluſionem veniam. Cum arbitratu ſcripturæ omnia dogmata religionis examinanda & dijudicanda, omnes fidei quæſtiones definiendæ veniant, eiuſque teſtimonijs cuncta religionis comprobanda & demonſtranda ſint, certè dubitari non poteſt, authoritatem Eccleſiæ vniuerſæ, conſtare & pendere maximè ex ipſis diuinarum ſcripturarum oraculis: & hæc in omnibus quæ Eccleſiæ nomine & authoritate proponuntur, cum primis eſſe requirenda.

Vnde Scriptura dicta ſit Canonica, de eius excellentiſsima authoritate teſtimonia Patrum.

CAPVT VII.

VAlde illuſtris eſt appellatio Scripturæ Canonicæ, quæ quidem probat & confirmat quicquid hactenus de eius authoritate, perfectione & ſufficientia diximus. Ariſtoteles in politicis diſputans, vtrum melius ſit regimen politicum inſtituere ſecundum le-

Canon & Canonica ſcripta. 2. Politi. cap. 8.

ges ſcriptas, aut ſecundum quod hominibus videtur æquum, vtitur vocabulo κανόνος. Quemadmodum igitur lex ſcripta canon eſt iudiciorum politicorum: ita Scriptura vocatur canonica, quod ſit certa & infallibilis regula fidei. Eſtque appellatio deſumpta ex ipſa Scriptura. Pſalmo 19. In omnem terram exiuit ſonus eorum. Vbi Septuaginta verterunt ὁ φθόγγος, aſt Hebræum vocabulum ſignificat lineam, regulam, amuſsim. Galat. ſexto. Et quicunque τῷ κανόνι τούτῳ ſecundum hanc regulam incedent, pax erit ſuper eos, & miſericordia. Philipp. tertio τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, eadem incedamus regula. Et prudenter monet Paulus vt iuxta hanc regulam incedamus, nam quæ eſt hominum hinc leuitas & inconſtantia, inde nouandi audacia & libido, nouam ſubinde religionis formam appeterent, niſi certis finibus doctrinæ, quaſi ſeptis quibuſdam contineretur. Vocatur igitur Canonica, quod hac quaſi canone, hoc eſt norma & regula Eccleſia vti poſsit: ac tanquam Lydio lapide, quo omne genus doctrinæ, quod Eccleſiæ proponitur, accuratiſsimè explorari queat.

In ſermone de baptiſ. Chriſti.

A qua quidem ſententia non diſſentit Cyprianus, cuius hæc ſunt verba: Chriſtiana religio inuenit ex hac Scriptura omnium doctrinarum regulas emanaſſe, & hinc naſci, & huc reuerti, quicquid eccleſiaſtica continet diſciplina. Idem Cyprianus in expoſitione Symboli,

boli, postquam libros Canonicos recensuisset, adiecit: Hæc sunt quæ Patres intra Canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Item. Ex his fontibus verbi diuini haurienda sunt pocula. Et Irenæus dicit hoc ipsum Euangelium quod Apostoli per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum esse, & columnam fidei nostræ. Quin & Augustinus docet Scripturam canonicam fundamentũ fidei nostræ esse, cum ait: Ciuitas Dei credidit scripturis sanctis, veteribus & nouis, quas Canonicas appellamus, vnde fides ipsa concepta est, ex qua iustus viuit, per quam sine dubitatione ambulamus, quamdiu peregrinamur à Domino. Item. Hic (Filius Dei) prius per Prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos quantum satis esse iudicauit, locutus, etiam Scripturam condidit quæ Canonica nominatur, eminentissimæ authoritatis, cui fidem habemus de his rebus quas ignorare non expedit, nec per nosipsos nosse idonei sumus. Itẽ alibi. Canonica authoritas veteris & noui Testamenti Apostolorũ confirmata temporibus per successiones Episcoporum, & propagationes ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis, & pius intellectus. Cumque Deus hanc scripturam condiderit, vt esset basis, columna & norma fidei, eamque propterea in eminentissimę authoritatis sede collocam

De Ciuit. Dei lib. 19. cap. 18.

De Ciuitat. Dei lib. 11. cap. 5.

Contra Faustum lib. 11. cap. 5.

uerit, ac tanquam tribunal ſpiritus ſancti erexerit: niſi in Deum ipſum contumelioſi eſſe velimus, neceſſe eſt vt fateamur eam ita numeris omnibus abſolutam eſſe, vt illi nec addi, nec detrahi, ſine ſpiritus ſancti iniuria poſsit. Regula & amuſsis, inquit Baſilius, in quantum nihil eis deeſt, vt ſint huiuſmodi, nullam acceſsionem ſuſcipiunt. Nam cui aliquid deeſt, illi additio congruit: quæ vero imperfecta ſunt, nunquam rectè amuſsis, & regulæ appellabuntur nominibus. Item Theophylactus: Canon & amuſsis, neque additionem patitur, neque ablationem. Ergo, authoribus Baſilio & Theophylacto, aut perfecta erit ſcriptura, & plena: aut Canonicę vocabulo indigna cenſebitur. Atqui eſt canon, regula, & norma qua ſancti Patres omnia dogmata probari, & omnes fidei quæſtiones definiri voluerunt. Nec vlla vel Conciliorum, vel quantumuis doctorum & ſanctorum virorum decreta & ſcripta, ſua authoritate recipienda iudicarunt. Solæ Canonicæ ſcripturæ hunc honorem detulerunt, vt quæcunque nobis hæc prodidit, ſimpliciter & ſine diſceptatione, ideo quia ita ſcripta ſunt, recipienda cenſerent: cæterorum omnium placita, ad ſcripturam Dei referenda eſſe, & ex ea dijudicanda ſtatuerunt, ſicut ex ipſorum teſtimonijs mox latius declarabimus. Meritò igitur adoramus Scripturæ plenitudinem, & authoritatem, quæ eſt veluti ſuprema lex, & ſententia, vt in

Contra Eunomij lib. 1.

foro

foro loquuntur iurisperiti, definitiua, cui omnes acquiescere oporteat.

Scripturæ Canonicæ authoritatem supra Concilia ipsa, Patres, adeoq; omnium hominum decreta & placita eminere.

CAPVT XIII.

AVgustinus contra Epistolam quam vocant Fundamenti: Definita, inquit, in sacris literis omnibus alijs præferuntur. Et recte quidē, quandoquidē Ecclesia Christi catholica, hoc est vniuersa, nullū suū propriū librū agnoscit, in quo Traditiones Christi & Apostolorū filijs Dei certò exhibeat, præter Canonicam scripturam. Cætera non aliter ab Ecclesia Dei admissa sunt, quam vt apud Ecclesias & singulos Christianos tantum valeant, quātum authores eorum ex sacra Scriptura, & rationibus probabilibus persuaserint. Probibilia quidē sunt, quę excellentibus viris placēt, & fulgor clarorū no minū intellectū percellit, vt bona videantur: sed certa & demōstrata ea sola habentur in Ecclesia Christi, quę sunt ex Scriptura euidēter & indubitate concluſa. Est ea quasi regina omniū Cōciliorū, omniū Ecclesiarū, omniū scriptorū. Nec S. Patres quicquā magis fide dignū in Ecclesia quā Scripturas iudicarunt: quin ad exemplum Christi ipsius & Apostolorū, ad legē, ad prophetarū & Apostolorū scripta semper remiserunt,

omnes, quos in religione instituendos susceperunt. Et in hanc sententiã extant multa Patrum pulcherrima dicta, ex quibus quædam annotabimus. Augustinus de baptismo contra Donatistas lib. 2. cap. 3. Quis autem nesciat sanctam scripturam Canonicam tam veteris, quàm noui Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari disceptariq; nõ possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem literas, quę post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur: & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem authoritatem, doctorum que prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte à veritate deuiatum est. Et ipsa Concilia, quę per singulas regiones, aut prouincias fiunt: plenariorum conciliorum authoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere, ipsaque plenaria, sæpe posteriora prioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat: sine vllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflatæ carnis arrogantia, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana? Hieronymus ad Galatas: Spiritus sancti doctrinæ

Concilia.

ctrina est, quę Canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuant Concilia, nephas duco. Rursus Augustinus scribens Hieronymo: Ego enim fateor charitati ruæ, solis eis scripturarum libris, qui iã Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati: nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantumlibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos authores Canonicos vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo. Prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum, vel Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc à pia humilitate, &c. Item in procœmio in tertium librum de Trinitate: Veruntamen sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi. Ille me non amet amplius quam Catholicam fidem: ille se non amet amplius quam Catholicam veritatem. Sicut illi dico. Noli meis literis, quasi Scripturis canonicis inseruire: sed in illis, &

Epistolam 19. Augustini de hoc testimonia.

Distinct. 9.

quod nõ credebas, cum inueneris incunctanter crede. In istis autem quod certum nõ habebas, nisi certum intellexeris, noli firmè retinere. Ita illi dico: Noli meas literas ex tua opinione vel contentione, sed ex diuina lectione, vel inconcussa ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis, existendo non est meum: at intelligendo, & amando, & tuum sit, & meum. Si quid autem falsi conuiceris, errando fuerit meum, sed iam cauendo, nec tuum sit, nec meum.

Scripta catholicorum Candatorũ hominum.

Item ad Fortunatianum: Neque enim quorum libet disputationes, quantumuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis nõ liceat salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus aliquid eorum scriptis improbare atque respuere: si fortè inuenerimus quod aliter senserint quam veritas habet: diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. Item ad Paulinam capite decimosexto. Neq; enim mihi sic credis quemadmodum Ambrosio, de cuius libris tanta illa testimonia posui. Aut si ambobus nobis æqua lance putas esse credendum, nunquid vllo modo Euangelio nos comparabis, aut scripta nostra scripturis Canonicis coæquabis? Profectò si rectè in dijudicando sapis, longé nos infrà vides ab illa authoritate distare, & me quidem longius. Sed vtriq; nostrum quantumlibet credas, vtrumq; illi

illi excellentiæ nequaquam comparas. Itẽ contra Creſconium libro 2. capite 31. Nos enim nullam Cypriano facimus iniuriam, cũ eius quaſlibet literas à Canonica diuinarum literarum authoritate, diſtinguimus. Neque enim ſine cauſa tam ſalubri vigilantia Canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertineant, quos omnino iudicare non audeamus, & ſecundum quos de cæteris literis, vel fidelium, vel infidelium, liberè iudicemus. Item ad Vincentium Donatiſtam Epiſtola 48. Noli contra diuina teſtimonia colligere velle columnas ex Apoſtolorum ſcriptis. Primò, quia hoc genus literarum ab authoritate Canonis diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur, tanquam ita ex eis teſtimonium proferatur, vt contra ſentire non liceat, ſi forte aliter ſapuerint: ſexcẽta huiuſmodi teſtimonia apud Auguſtinũ paſsim occurrunt, docentia Scripturam Canonicã eſſe amuſsim, ad quam omina omnium ſcripta & decreta exigenda ſint.

Aliorũ patrum de hoc teſtimonio.

Quare omiſſo hoc, audiamus & reliquorum Patrũ conſentientes ſententias. Baſilius in Moralibus ſumma 72. ca. 1. pronuntiat, quod oporteat auditores eruditos in ſcripturis, probare ea quæ à doctoribus dicuntur: & quæ quidẽ conſona ſunt ſcripturis ſuſcipere, quę vero aliena reiicere. Et ad illam regulam accomodat ſententiã Pauli Gal. 1. Si angelus à cœlo euangelizauerit

vobis,&c. Epiphanius hæreſ. 65. Nos vniuſcuiuſque quęſtionis inuentionem, non ex proprijs ratiocinationib. diſcere poſſumus, ſed ex ſcripturarum conſequentia. Cyrillus de recta fide ad Reginas: Neceſſarium nobis eſt diuinas ſequi literas, & in nullo ab earum præſcripto diſcedere. Ambroſius de Officijs, lib. 1. Quæ in ſcripturis ſacris non reperimus, quemadmodũ volumus vſurpare poſſumus. In Commentarijs Pſal. 86. quæ Hieronymi nomine feruntur, Dominus narrabit in ſcriptura populorum, & principum qui fuerunt in ea. Quomodo narrabit Dominus? Non verbo, ſed ſcriptura. In cuius ſcriptura? Populorum, hoc eſt, ſancta, quæ populis omnibus legitur, hoc eſt, vt omnes intelligant. Plato ſcripſit non populis, ſed paucis: vix enim intelligunt tres homines. Iſti vero, hoc eſt principes Chriſti, non ſcripſerunt paucis, ſed vniuerſo populo: non vt pauci intelligerent, ſed vt omnes. Dicit & principum ſcriptura, hoc eſt Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, horũ qui fuerunt in ea. Videte quid dicat: Qui fuerunt, non qui ſunt: vt exceptis Apoſtolis, quodcunque aliud poſtea dicetur, abſcindatur, non habeat authoritatẽ. Quamuis ergo ſanctus ſit aliquis poſt Apoſtolos, quamuis diſertus ſit, non habet authoritatem. Quoniam Dominus narrat in ſcriptura populorum, & principum horum qui fuerunt in ea. Cyrillus ſiue is Origenes eſt in Leuiticum cap. 5. Si non po-

tueris

meris omnes carnes sacrificij secunda die finiri, nihil de his in tertia die comedes, &c. Ego, inquit, in hoc biduo puto duo Testamenta posse intelligi: in quibus liceat omne verbum, quod ad Deum pertinet, requiri, & discuti, atque ex ipsis omnem rerum scientiam capi: Si quid autem superfuerit, quod non scriptura diuina decernat nullam aliam debere tertiã scripturam ad authoritatem scientiæ suscipi. Possem plures eiusmodi ex Patribus afferre sententias, sed illis spero æquo lectori abundè satisfactũ esse.

Omnia alterum scriptũ examinãda ad canonẽ scripturæ.

Ad legem igitur, & Prophetas, ad Apostolorum scripta: tanquam ad certissimam trutinã, sunt examinanda & probanda quęcunq; etiam dicta, & scripta hominum: & ita senserunt Sanctissimi Patres ad vnũ omnes. Maior est enim authoritas scripturę Canonicę, quam vllius hominis, vllorum Episcoporum, vllarum Synodorum, aut totius etiam Ecclesiæ. Nec potest Ecclesiæ vniuersę authoritas etiamsi illa tota sit in vnum locum collecta, & ex omnibus quidẽ suis membris, quæ vnquam fuerunt, aut sunt, aut alijs erunt in annis absq; scripturarum testimonijs vlla in rę fidem facere: Vt neque ineptẽ neq; falsè dixerit Panormitanus: plus credendũ vni laico afferenti scripturas, quã generali concilio, vniuersalẽ re. pręsentanti ecclesiam, si scripturas nõ afferat. Cui assentitur Iohannes Gerson, cum ait vnius viri docti, ac scripturas dexterè proferentis, suffragium, vniuersali Concilio

preferendum. Et comprobatur exemplo Synodi Nicenę, quæ superstitiosam legem de cœlibatu sacerdotum amplexa erat, nisi vnus Paphnutius restitisset. Idcirco si Patrum disputationes, vel sententię, vel expositiones scripturarũ, à scriptura Canonica fideiq; regula exorbitent, non est quod quisquã nobis eorũm authoritatẽ obijciat. Nã si de eruditione, sanctimonia, antiquitate certamen est, doctiores, sanctiores, & vetustiores sunt Prophetæ, & Apostoli Christi. Nec est quodquisquã nobis obijciat multarũ ecclesiarũ in hac vel illa sentẽtia consensionẽ. Pluris enim facienda est consensio Christi, Prophetarum, & Apostolorũ, adde & Patriarcharũ in religione syncera, & sensu religionis sancto, per scripturas nobis manifestè reuelato, à quorũ pia & religiosa sententia nunquã discedendũ est. Si quis vero multa, & integra regna annumerat, quę ad hunc vel illũ modũ instituta senserint, ei vnius sancti Pauli labores opponimus, qui simplici, eoq; euãgelico sensu maxima terrarũ spacia impleuit, videlicet à Hierosolymis, & circũiacentibus regionibus vsq; ad Illyricũ. Cumq; authoritate Augustini, etiã plenaria concilia emendari nõ nunquã à posterioribus oporteat. Et cœtus qui emendationi expositi sunt, idẽ etiam errori sint obnoxij necesse est: sequitur omnem Ecclesiæ & conciliorum authoritatẽ scriptura canonica niti, cui soli Deus eam fœlicitatem voluit esse peculiarem, vt nihil in ea sit erroneum.

Eruditio, sanctimonia, antiquitates, & cõ sensio multarum ecclesiarum.

Scriptu-

Scripturam Cænonicam authoritatis suæ apicem à spiritu sancto potißimum, & à seipsa habere. Ecclesiam uero à Scriptura.

CAPVT IX.

Vnde habeat aut acceperit scriptura tantã authoritatem.

HActenus multa disseruimus de Scripturæ canonicæ excellẽtißima authoritate. Quæritur autem vnde habeat aut acceperit Scriptura hunc authoritatis apicem, seu à quibus constitutus sit Canon ille, ad quem libri Canonici pertineant? Pontificij dicũt ab Ecclesia scripturam habere illam authoritatem, ideoq; Ecclesiæ authoritatem esse potiorem authoritate scripturarum. Quasi vero verbũ Dei quod in æternum manet, hominum decretis subiaceat, aut quasi precariam ab hominibus authoritatem habeat Dei veritas. Nõ ita est. Verbum Dei per seipse firmißimum est, nec fulcris hominũ opus habet, imò omnia sustentat. Transit cœlum & terra, verba Dei nõ prætereunt. Scriptura verò robur vel authoritatem suam potißimũ à Deo, à quo reuelata est, accipit. Scilicet quod non hominum voluntate allata est, sed quod à spiritu sancto, impulsi homines Dei, & locuti sunt & scripserunt: quos Deus ad hoc munus electos multis miraculis, & diuinis testimonijs ornauit: adeo vt nullum esset dubium quin diuinitus inspirata essent, ea quæ scribebant. Atque idem ille spiritus, qui hæc scribi curauit, fidem nobis facit, ea non esse hominum

Matth. 24.

2. Tim. 3. 2. Pet. 1.

ſnuenta. Cumq; ſpiritus Dei hac de re ſpiritui noſtro teſtatur, ac ſcripturam cordibus noſtris obſignat, mirè exultat & confirmatur fidelis anima. Spiritus ergo virtute illuſtrati, iam nō, aut noſtro, aut aliorū iudicio credimus à Deo eſſe ſcripturam: ſed ſupra humanum iudicium certò certius conſtituimus, non ſecus ac ſi ipſius Dei numen illic intueremur, hominum miniſterio ipſiſſimo Dei ore ad nos emanaſſe. Ideo circo ſponſa in Canticis miro cum gaudio dicit: En dilectus meus loquitur mihi. Nihil hic loquor, quod non in ſe experitur, quiſquis fidei veræ lumine illuſtratus eſt. Ex hac experientia quondā ſcripſit vir Dei Auguſtinus quomodo Deus paulatim manu mitiſſima, & miſericordiſſima pertractauerit & compoſuerit cor ipſius, tandemq; firmiter perſuaſerit vt ſciret & crederet illos libros vnius veri & veraciſſimi Dei ſpiritu eſſe humano generi miniſtratos. Pēdet igitur non ab Eccleſiæ iudicio, ſed ab interiori ſpiritus ſancti teſtificatione Scripturę authoritas. Et de ſpiritu teſtatur Iohannes Chriſtum ita dixiſſe: Si patrem habetis Deum, quo modo non agnoſcitis loquelam meam? Certum eſt autem nos interuentu ſpiritus ſancti adoptari vt filij Dei ſimus. Quod vbi fuerimus adepti, Chriſtus hoc loco atteſtatur, nos per illuminationem eiuſdem ſpiritus, ita poſſe loquelam ſuam ab aliena dignoſcere, vt nobis manifeſta ſit, & explorata. In quem eundem ſenſum

Conſeſ. lib. 6. cap. 5.

Ioan. 8.

Ioan. 10.

alibi

alibi quoque dixit: Qui ingreditur per ostium Pastor est ouium. Huic aperit ianitor, & oues vocem eius audiunt, & suas oues vocat nominatim, & educit eas. Quumque suas oues emiserit, antegreditur eas: & oues eum sequuntur, quia nouerunt vocem eius. Alienum autem ne quaquam sequentur, sed fugient ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. Neque dubium est vi spiritus sancti nos effici oues Christi, vt falsum, errores, corruptelas, & hæreses, quæ sunt voces alienorum, non sequamur: sed solam Christi vocem, hoc est, verum, genuinumque sensum Scripturæ consectemur. Et ad Corinthios inquit Paulus: Animalis homo nõ percipit ea quæ sunt Dei, nec quidem potest, quandoquidem sunt illi stultitia: verum spiritualis dijudicat omnia. Et ibidem. Spiritus profunda Dei scrutatur. Quin & Christus aiebat: Spiritus paracletus quæ sum locutus vobis omnia suggeret. Necnon in sua Epistola Iohannes habet: Vnctio docebit vos de omnibus. Item. Qui est ex Deo, audit nos. Denique Augustinus loco nuper citato inquit: Ideoque cum essemus infirmi ad inueniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset authoritate sacrarum literarum, iam credere cæperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes iam terras authoritatem, nisi & per ipsam te quæri, & per ipsam tibi credi voluisses. En Deus, Deus

1. Cor. 2.

Ioan. 14.

1. Ioan. 2. 4.

Confes. lib. 6. cap. 5.

inquam est, qui libros sacros tanta in omnibus gentibus authoritate fundauit. Et addit causam Augustinus, quod scilicet per ipsos sibi credi, & per ipsos se quæri voluerit. Concludo igitur Scripturam non habere potissimum authoritatem ab Ecclesia. Etenim firmitas eius à Deo pendet, non ab hominibus. Et prius est verbum, & quidem firmum ac certum, quam Ecclesia. Nam Ecclesia per verbum vocata fuit. Cumque fundamentum sit Ecclesiæ Prophetica & Apostolica doctrina: suam huic, tanquam fundamento & fulcrali basi certitudinem constare oportet, quam illa extare incipiat. Nam si Christiana Ecclesia prophetarum scriptis & Apostolorum prædicatione initio fundata fuit: vbicunque reperiatur ea doctrina, ecclesiam certè præcessit eius approbatio, sine qua nunquam Ecclesia ipsa extitisset. Et cum spiritus Dei egerit in cordibus audientium verbum, & illud legentium, vt agnoscerent non esse humanum sermonem, sed prorsus diuinum: certè à Spiritu potissimum accessit authoritas verbo Dei, non ab Ecclesia.

Quo

Quomodo constitutus sit Canon noui Testamenti, & quod per ipsum & ex authoribus suis habeat authoritatem, Ecclesiæ uero authoritatem ipso niti.

CAPVT X.

QVi disputant multa nos necessariò credenda, ecclesiæ authoritate accepisse, quæ nullis sint scripturis expressa, etiam hoc tenuam magnum, vt ipsi putant, argumentum adducunt: Quatuor duntaxat esse Euangelia, quibus citra salutis periculum non possit negari fides: cæteraſque quas habemus scripturas, esse Canonicas, & fide dignas, nulla proditum est scriptura. Neque enim tituli ipsius scripturę sunt, sed appositicij. Itaque si nihil nisi quod in scripturis positum est, recipimus, nec ipsas scripturas recipiemus. Vt autem hunc fumum discutiam, sciat æquus lector, scripturam Canonicam authoritatem suam habere principaliter à spiritu sancto, cuius impulsu & inspiratione prodita est, sicut nuper ostendimus. Deinde à scriptorib. quibus Deus ipse certa & peculiaria veritatis testimonia perhibuit. Quibus accedit primitiuæ Ecclesiæ testificatio, cuius tẽpore scripta illa ædita, & recepta fuerunt. Et qui habent spiritum fidei non disputant spinosè de receptione librorũ, quis receperit, aut quis repudiarit. Omnino agnoscunt in eis fragrãtẽ vim spiritus, cuius instinctu traditi sunt.

Scriptura Canonica authoritatẽ habet à spiritu sancto & impertit authoribus &c.

Canon autem noui Testamenti diuina authoritate cõstitutus fuit, receptus ab Ecclesia Apostolica. Neq; satis mirari possum temeritatem eorum, qui dicunt Ecclesiæ authoritatem, scripturis quibusdam, ijsq; præcipuis, quam neq; ex se, neque ex authoribus suis apud nos habebant, Canonicam impartitam esse authoritatem. Logi. Prorsus non quælibet, sed Apostolica authoritas requiritur, vt in nouo Testamento probetur scriptum aliquod esse Canonicum, seu diuinitus inspiratum. Sicut rectè Tertullianus, refutaturus Euangelium Martionis adulterinũ, inquit: Constituimus in primis Euangelicum instrumentum Apostolos authores habere. Vidit Iohannes trium Euangelistarum scripta, & probauit ea. Suumq; adijciendo scribendis Euangelijs finem imposuit. Itaque ait: Multa igitur etiam alia signa ædidit Iesus, in discipulorum suorum conspectu, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum filium Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius: Quibus verbis, si Patribus credimus non suum tantum, sed etiam reliquorum trium Euangelia Ecclesiæ Iohannes commẽdauit. Ergo luculento Iohannis testimonio, à quatuor Euangelistis, sancto cum delectu, ea perscripta sunt, quæ hominum saluti sufficerent, non curiositati satisfacerent. Paulus Epistolas suas peculiari nota signauit: sicut habemus 2. Thessal. 3.

Ioan. 20.

Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni Epistola: ita scribo: Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis, Amē. In quæ verba Ambrosius: Propter interpolas, inquit, & adulteratores scripturarum, semper se manu sua in omni epistola sua salutationem subscribere testatur, vt sub nomine eius epistola accepta ferri non possit, quæ non fuerit manu eius subscripta. Item Theodoretus: Hoc autem adiecit propter eos qui fictas epistolas circumferre audebant, docens eos vt quærerent subscriptionem. Hoc enim, inquit, est signum mearum epistolarum. In omni enim epistola ego scribo salutationem. Hinc ergo discimus quod hoc, Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus, Amen, pro eo quod est Vale, scribere consueuerit. Hæc Theodoretus. Hinc est quod in fine epistolæ ad Romanos cum vsi tatam sibi subscriptionem posuisset, Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum, & nouas adiecisset salutationes, nomine aliorum fratrū, subscriptionem secundo repetijt. In fine primæ ad Corinthios ita subscribit: Salutatio mea manu Pauli. Si quis non amat Dominum Iesum Christum, sit anathema, maran-atha. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscū. In quæ verba subijcit Ambrosius: Propriæ manus consueta subscriptio. Item Theodoretus: Ego, inquit dictaui Epistolam, salutationem autem mea manu adieci, per eas literas ostendens om-

nia mea esse quæ scripta sunt. Epistolæ ad Galatas his verbis subscribit: Gratia Domini Iesu Christi sit cum spiritu vestro, fratres. Amen. In quæ verba Theodoretus: Consueram, inquit benedictionem, veluti quoddam signaculum literis imposuit, donum datum eis in memoriam reuocans, quod non per legem, sed per fidem acceperunt. Ambrosius in fine prioris ad Timotheum: Manu propria, inquit, subscripsit dicens: Gratia tecum, Amen. Et posteriori ad Timotheum in hunc modum subscribit Apostolus: Dominus Iesus Christus sit cum spiritu tuo: Gratia eius sit vobiscũ, Amen. In quę verba annotauit Ambros. Hæc subscriptio Apostoli est, quia signum esse dicit in omni epistola. Et author est Tertul. autographa Apostolorũ suo etiamnum tempore in Ecclesijs Apostolicis conseruata extitisse. Deniq; nõ tantũ subscriptionibus tanta diligentia suas epistolas confirmat Paulus, sed etiã inscriptionibus multo ditioribus instructioribusq;, quã pro more reliquorũ scriptorũ, insignuit. Idẽ fecit Petrus, qui etiã Paulinas epistolas ecclesijs diserte cõmendauit. Ioannes Canonicæ suę hũc ponit epilogũ: Hęc scripsi vobis, qui creditis in nomen filij Dei: vt sciatis vos vitã æternã habere, & credatis in nomen filij Dei. Quomodo Canonica non erit epistola, quę author spiritu in hunc finẽ scripta est, vt fideles de sua in Christo per fidem salute fiant certiores? Epistolam ad

De præscriptione.

Hebræos

Hebræos, siue ea Lucæ est, siue Barnabæ, siue Clemẽtis (de authore incerta est Ecclesia, de spiritu, & veritate certissima) eam Apostolicæ Theologię gratiam fragrat, vt se à reiectione facilè tueatur. Epistola Iacobi, saluberrimis referta præceptis, authorem præfert Iacobum Dei ac Domini nostri Iesu Christi seruum, siue is Alphæi sit, siue Oblias ille, parum refert. Nam vterque magnus. Alter Apostolus, alter discipulus, & consanguineus Domini, maximæ apud Ecclesiam, imò & Iudæos, authoritatis. Velim igitur & mihi expediant isti, quænam sint illa præcipua noui Testamenti scripta, quæ ab Ecclesia authoritatem habeant, quam neq; ex se, neq; ex suis authoribus habere potuerint. Et ex ijs quæ iam ex nouo Testamento allegauimus, colligi potest quomodo constitutus sit Canon scripturę noui Testamenti, & vnde scriptura Canonica habeat, eminentem illam authoritatem. Hunc igitur Canonẽ, nulla quidẽ Synodo confirmatũ, ab Apostolis accepit, & veluti per manus posteritati tradidit Ecclesia. Quare Ioan. in fine Euãgelij sui & suã & Ecclesiæ testificationẽ coniungit, cù inquit: Hic est discipulus ille, qui de his testatur, & hęc scripsit: & scimus verũ esse testimoniũ eius. Atque hęc Eccles. testificatio nõ est placitũ hominis, sed necessaria, & à rei veritate expressa confessio, de qua suo loco differemus fusius. Cũq; tanta pertinacia contendãt authoritatẽ scripturarũ ab Ecclesia pendere, cur non edunt canonẽ

Epistola Pauli ad Hebræos.

Ecclesiæ testificatio de scriptura.

aut decretum alicuius concilij, quo diuinæ literæ sint approbatæ, vel confirmatæ. Primitiua Christianorum Ecclesia veteris Testamenti scripta reperit authentica, & firma, & per illa fidei nostræ dogmata approbauit, & constabiliuit. Successerunt deinde Apostolici libri diuino afflatu, conscripti, quos nullum humanum decretum corroborauit. Non enim hominum arbitrio verba Dei subijciuntur, verum è diuerso quicquid Ecclesiæ statuerunt, semper curarunt vt verbis Dei confirmarent, quemadmodum Synodis omnibus melioris notæ potest comprobari. Vt verè scripserit B. Saluianus Massilien. Episcopus. Alia omnia, id est humana dicta, argumentis, & testibus egent, Dei autem sermo ipse sibi testis est: quia necesse est quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis. Recensuerunt quidem concilia diuinos libros, quod etiam alij qui Patres ex veteribus fecerunt: vt ex Græcis Melito. Origenes, & Eusebius Cæsarien. ex Latinis autem Cyprianus episcopus & martyr, & Hieronymus presbiter. Sed longè ante censum illorum libri sancti apud Christianos diuinam habuerunt authoritatem, quam habituri erant, etiamsi nunquam celebrata fuissent concilia. Quanquam sanctis Dei hominibus placuit suam quoque proferre sententiam aduersus eos, qui Canonicis libris erant iniquiores.

De uero iudicio & prouidẽtia Dei lib. 3.

Si in Ecclesia positum esset vt Scriptura re-

cipere-

ciperetur, certè illam iam olim Epicuræis, & Talmudicis, & Mahometistis persuasissent. Verum longè secus est. Non enim authoritas Euangelij pendet ab Ecclesia, sed quicquid Ecclesia authoritatis habet, id totum pendet à verbo Dei: cuius si concidat authoritas, Ecclesiæ quoque authoritatem vna concidere necesse erit. Nam si quæras ab istis, vnde probent authoritatem Ecclesiæ, aut vnde certi sint eam non errare in intelligendis sacris literis, & secernendis ab alijs? dicent: Quoniam regitur à spiritu sancto. Atque hoc ipsum vnde nostis? Quoniam Christus, inquient, promisit se cum ea futurum vsque ad consummationem sæculi. Et quoniã idem dixit: Vbicunq; fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum. Et, Mittam spiritum paracletum, qui vos deducet in omnem veritatem. Hæc, inquiunt, ea sunt quæ nobis persuadent Ecclesiæ authoritatem. Sed ista, ô boni, vnde accipitis, nisi ex sacris literis? Quare è diuerso potius concludendum est: Ecclesiam authoritatem suam habere à Scriptura. Vt igitur nemo negat Ecclesiæ testificationem, circa verbum Dei, suum pondus habere: ita nemo non vidit Ecclesiæ authoritatem iccirco esse splendidã, quia clara verbi lucæ illustratur.

Quicquid authoritatis ecclesia haber, id pendet à verbo Dei.

Matth. 28.

Matth. 18.

Ioan. 14.

Quam impium sit, & sacrilegum, præter Scripturam Euangelizare.

CAPVT XI.

EX illis quæ hactenus de eminentia Scripturæ disceptauimus, manifestũ est fidei fundamentũ esse eã doctrinã, quã Prophetæ & Apostoli scripto nobis prodiderũt. Quare ministros Ecclesiæ, & cõcionatores hinc oportet discere, quid sit prædicãdũ, nempe vnicũ Dei verbũ in Scriptura traditũ, non aũt humanę traditiones, tametsi eas dicere audent esse Verbũ Dei, quod tamen probare nullo modo possunt, quũ incertæ sint, inter se pugnent, & subinde, vel abolean tur, vel instaurẽtur, id quod verbo Dei minimè conuenit. Neq; vllę superstunt Ecclesiæ Apostolicæ, apud quas Traditiones Apostol. syncerè extẽt. Et de Traditionib. quidẽ suo loco latius. Porrò nõ acquiescũt oues Christi, dũ audiãt certam vocem sui Pastoris. Et mens cupiens viuere Deo, certa non est, donec intelligat ea quę audit initi illo primo theologię principio, Hęc dicit Dominus, Sponsa verò Christi animo tranquillo esse non potest, quoad dicere ei liceat: Ecce dilectus meus ipse mihi loquitur. Huius verò vox, iuxta cõmunẽ diuinæ dispositionis erga nos regulã, haud aliunde certius, quã ex diuinis literis sonat. Bene Chrysostomus: Si quid dicitur absq; scriptura, auditorum cogitatio claudicat. Verum vbi è Scriptura diuinæ vocis prodijt testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat. Et Esaias vbi populum admonuit, ne quẽ præter vnum Deum se-

Vnicũ Dei uerbũ prædicãdum à ministris ecclesiæ.

Ioan. 10.

In Psal. 95.

Isa. 8.

In Psal. 95.

quãtur

quãtur: modum quoq; simul addit: Ad legem, inquit, & ad testimonium. Quapropter rectè Augustinus: Auferantur de medio chartæ nostræ, procedat in mediũ codex Dei. Audi Christum dicentẽ, audi veritatẽ loquentẽ. Idem alibi inquit: Legite hoc nobis de lege, de Prophetis, de Psalmis, de Euãgelio, de Apostolicis literis legite, & credemus. Item. Exigite ab istis, vt ostendant aliqua manifesta de Canonicis libris testimonia. Mementote quod Domini dictum sit: Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Angelum quidem è cœlo si aliud Euangelium attulerit, pro anathemate haberi iubet Paulus. Nempe cum Angelos quoq; subijci, & obedire verbo Dei oporteat, meritò rediguntur in hũc ordinem, vt si aliter faciant, dæmones censeantur. Quanquã aũt accidere id non potest, tanti tamẽ est Euãgelij maiestas, vt ad eã vindicandã Angelorũ nomine & dignitate abuti quodam modo nefas nõ sit: Quapropter grauissimis sanctissimorũ Patrũ sententijs lapidata est impia & sacrilega illorum temeritas, qui in Ecclesia Dei præter Scripturam euangelizare audent. Recitemus igitur aliquot Patrum testimonia.

De unitate Ecclesiæ cap. 6. Luc. 16. Gal. 1.

Tertullia. aduersus Hermoge. Adoro Scripturæ plenitudinem. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptũ, timeat væ illud adijcientibus aut detrahẽtibus destinatũ.

Patrum de hoc testimonia. Tertullia.

Augustinus contra literas Petiliani libro 3. cap. 6. Si quis, siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunque alia re, quæ pertinet

Augustin.

ad fidem, vitamque nostram: non dicam si nos, sed quod Paulus adiecit, Si Angelus de cœlo annunciauerit, præterquam quod in scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.

De unitate Ecclesiæ cap. 12.

Cui sententiæ consentit quod alibi tradit. Qui aliud euangelizat anathema sit: aut legat mihi hoc in scripturis sanctis, & non sit anathema. Idem in Tractatu de Pastoribus: Constituit montes Israel authores diuinarum scripturarum. Ibi pascite, vt securè pascatis. Quicquid in de audieritis, hoc vobis benè sapiat: quicquid extra, respuite: ne in nebula erretis, colligite vos ad mentem scripturæ. Ibi sunt delitiæ cordis vestri: ibi nihil venenosum, nihil alienum, pascua ibi vberrima tantum. Item de bono viduitatis cap. 1. Quid amplius te doceam, quam id quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam fingit, ne audeamus sapere plus quàm oportet. Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi doctoris exponere.

In Decreto Gratiani 11. Quæstio. 3. Is qui post, si præter voluntatē Dei, vel præter id quod in sanctis scripturis euidenter præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat: tanquam falsus testis Dei, aut sacrilegus habeatur.

Ioan. Gerson.

Iohannes Gerson in prima parte de examine doctrinarum citat glossam quandam super illud: Apparuit Moses & Helias cum ipso, Suspecta est omnis reuelatio, quam non confirmat

mat lex,& Prophetæ, cum Euangelio.

Hieronymus in Titum:Sine authoritate scripturarum garullitas non habet fidem. Hieronymus.

Basilius in sermone de vera & pia fide: Si fidelis est Dominus in omnibus sermonibus suis,& fidelia omnia mandata eius, manifesta est elapsio (ἔκπτωσις) à fide, & superbiæ crimen: aut reprobare quid ex his quæ scripta sunt, aut superinducere quid ex non scriptis, cũ Dominus noster Iesus Christus dixerit: Oues meæ vocem meam audiunt. Et ante hoc retulerit: Alienum autem non sequentur, sed fugient, quia non nouerunt vocem eius. Et Apostolus in exemplo humano vehementer interdixerit apponere aut detrahere aliquid diuinis scripturis, dum ait: Tamen hominis confirmatum Testamentũ nemo reprobat, aut aliquid addit. Idem Moraliũ Regula 80. cap. 21. Quid propriũ fidelis? Vt cum eiusmodi certa animi expletione veram esse illorum vim credat, quæ dicta sunt in Scriptura, nihilque reijciat aut nouum statuere audeat. Etenim si omne quod ex fide non est, peccatum est, vt ait Apostolus: fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Dei: sine dubio, cum quicquid extra diuinam scripturam est, ex fide non sit, id peccatum est. Basilius.

Theophylactus in Epistolam ad Romanos cap vlt. Qui aliquid adferunt præter Apostolorũ doctrinam, scandala, ac hæreses, & dissensiones inducunt. Theophylactus.

Chrysostomus. Chrysostomus ad Romanos Homilia vltima: Itaque non erunt offendicula, non erunt disidia, nisi dogma quoddam excogitatum fuerit, quod sit contra Apostolicam doctrinam.

Origenes. Origenes in Matth. Hom. 25. Ad testimoniũ omnium verborũ, quę in doctrina proferimus, debemus sensum Scripturæ proferre, quasi confirmantẽ, quẽ exponimus sensum. Sicut enim omne aurũ quodquod fuerit extra templũ nõ est sanctificatũ: sic omnis sensus qui fuerit extra diuinã scripturam, quamuis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur à sensu Scripturæ. Non ergo debemus ad confirmandam doctrinam nostros proprios intellectus assumere: nisi quis ostenderit eos sanctos esse ex eo quod in scripturis continentur diuinis, quasi in templis quibusdã Dei.

Ambrosius. Ambrosius der Virgi. lib. 4. Nos noua omnia quæ Christus non docuit, iure damnamus, quia fidelibus via Christus est. Si igitur Christus non docuit, quod docemus, etiam nos id detestabile iudicamus. Patet igitur ex grauissimis Patrum sententijs, maximũ scelus, imò sacrilegam atq; execrandã impietatem esse, quicquã in Ecclesia Dei præter sacram scripturã prædicare. Quare vos cõpello quibus solenne est præter Scripturã euãgelizare, & Christianæ plebis, quam officijs & strophis vestris dementatis, atque fascinatis, simplicitate abuti, vt tot seueriss imis virorũ Dei sententijs expergefacti, detestandã ve-

Admonitio seria & necessaria.

dã vestrã audaciã, vanitatẽ & temeritatẽ agnoscatis, & ab ea desistatis. Nam si Tertul. credimus, væ illud vobis timendũ est, quod adijcientibus aut detrahentibus Scripturæ destinatum est. Si Ambros. & August. fidẽ adhibemus anathema estis. detestabiles estis, plus quam oportet sapitis, & in nebula erratis. Si decreto Gratiani, falsi testes Dei, & sacilegi estis. Si Basiliũ audiemus manifestè à fide elapsi estis, superbiæ crimine tenemini, & peccata docetis. Si Chrys. & Theophy. auscultamus, scandala, hæreses, & dissensiones inducitis. Si Origeni & Hieronymo accedimus, profana & vana garrulitas estis, quę fidem non mereantur. Aut igitur veterum authoritatem atque consensum sacrilega imprudentia pessundate, & conculcate, aut tales vos, ac tam execrandos agnoscite, & vero dolore cordis, verisque gemitibus, resipiscite.

Veram Ecclesiam in Scriptura quærendam esse, eiq; includendam, atq; à Scripturis æstimandam esse.

CAPVT XII.

Ioan. 8. Ioan. 10.

CLlamat Christus in Euãgelio, ex Deo esse, qui verba Dei audiunt: Oues suas esse, quę vocem suam Pastoris esse cognoscunt: quamlibet aliam, hominis esse extranei. Hac etiam ratione spiritus per os Pauli pronunciat Ecclesiã fundatã esse super fundamentũ Prophetarũ & Apostolorum. Item: Ecclesiã Domino sanctificatam lauacro aquę in verbo vitę Id ipsum per

Ephes. 2.

Ephes 5. 1. Pet. 1.

os Petri etiã clarius, cum docet regenerari Deo populũ per ſemen illud incorruptibile. Denique totius Euangelij preconium regnũ Dei nuncupatur, quia ſcilicet ſceptrũ eſt, quo plebem ſuã moderatur Rex cœleſtis. Eſt igitur verbũ Domini maximè perſpicua nota in Eccleſia deſignanda à Domino ipſo commendata. Proinde Aug diſputans contra Petilianum, quę & vbi ſit Eccleſia, non vult illam in ſermonibus & rumoribus hominum, non in Concilijs, non in ſignis, & prodigijs, ſed in libris Canonicis quæri & demonſtrari. Non audiamus, inquit, hæc ego dico, hæc tu dicis. Sed hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorũ authoritati vtriq; conſentimus, vtriq; credimus: ibi quęramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram. Item: Auferantur de medio quæ aduerſus nos inuicem, non ex diuinis Canonicis libris, ſed aliunde recitamus. Quęrat fortaſſe aliquis, Cur vis iſta auferri, de medio? Quia nolo humanis documentis, ſed diuinis oraculis Eccleſiam ſanctam demonſtrari. Item: Quicquid attulerint, & vndecũq; recitauerint, audiamus potius, ſi oues eius ſumus, vocem Paſtoris noſtri. Ergo in ſcripturis ſanctis Canonicis Eccleſiam requiramus. Item de Paſtoribus cap. 4. Ego vocem Paſtoris inquiro. Lege hoc mihi de Propheta. lege mihi de Pſalmo: recita de Lege, recita de Euangelio, recita de Apoſtolo. Inde ego recito Eccleſiam toto orbe diffuſam, & Dominum

De vnitate Eccleſiæ cap. 3.

minum dicentem: Quæ ſunt oues meæ, vocem meam audiunt, & ſequuntur me. Auferantur chartę humanę, ſonent voces diuinæ. Item cap. 16. Eccleſiam ſuã, ſi poſſunt, demonſtrent: non in ſermonibus & rumoribus Afrorum, non in concilijs epiſcoporũ ſuorum, non in literis quorumlibet diſputatorũ, nõ in ſignis, & prodigijs fallacibus, quia etiã contra iſta verbo Domini præparati, & cauti redditi ſumus, ſed in præſcripto Legis, in Propheterũ prædictis, in Pſalmorũ cãtibus, in ipſius Paſtoris vocibus, in Euangeliſtarũ prędicationibus & laboribus, hoc eſt, in omnibus Canonicis ſanctorũ librorũ authoritatibus. Itẽ nõ dicat, Ideò verũ eſt, quia illa & illa mirabilia fecit vel iſte, vel ille: aut quia homines ad memorias mortuorũ noſtrorũ orant & exaudiũtur: aut quia illa, & illa ibi cõtingũt, aut quia ille vel illa tale viſum vel vigilans vidit, vel dormiẽs ſomniauit. Remoueantur iſta, vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum. Nam nec nos propterea dicimus nobis credi oportere, quod in Eccleſia Chriſti ſumus, quia ipſam quã tenemus cõmendarunt innumerabiles noſtræ cõmunionis Epiſcopi, aut quia noſtrorũ collegarũ concilijs prædicata eſt, aut quia per totũ orbẽ in locis ſanctis, quæ frequentat noſtra cõmunio, tanta mirabilia, vel exauditionũ, vel ſanitatũ fiũt. Hæc ſunt cauſæ noſtræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta inquit Auguſtinus. VIDE

Succinit huic Chryſoſt. in Matth. Hom. 49. Qui in Iudæa ſunt, inquit, fugiant ad montes: id eſt, Qui ſunt in Chriſtianitate conferãt ſe ad ſcripturas. Sequitur, Et quare iubet in tempore omnes Chriſtianos conferre ſe ad ſcripturas? Quia in tempore hoc ex quo obtinuit hæreſis Eccleſias, nulla probatio poteſt eſſe veræ Chriſtianitatis: neq; refugium poteſt eſſe Chriſtianorũ aliud, volentium cognoſcere fidei veritatem, niſi ſcripturæ diuinæ. Antea enim multis modis oſtendebatur, quę eſſet Eccleſia Chriſti, & quæ gentilitas. Nunc autem nullo modo cognoſcitur volentibus cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, niſi tantũmodo per ſcripturas. Quare? quia omnia hęc quæ ſunt propria Chriſti in veritate habet. Et hæreſes illæ in ſchiſmate ſimiliter Eccleſias, ſimiliter & ipſas ſcripturas diuinas, ſimiliter Epiſcopos, cæteroſq; ordines Clericorum: ſimiliter baptiſmum, ſimiliter euchariſtiã, & cætera omnia, deniq; & ipſum Chriſtũ. Volẽs ergo quis cognoſcere, quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, vnde cognoſcit in tãta confuſione ſimilitudinis, niſi tantũmodo per ſcripturas? Itẽ ex moribus ipſis prius intelligebatur Eccleſia Chriſti, quã conuerſatio Chriſtianorum, aut omnium, aut multorũ, erat ſancta, quæ apud impios non erat. Nunc aũt, aut tales, aut peiores facti ſunt Chriſtiani, quales ſunt hæretici, aut gentiles. Adhuc aũt & maior continentia apud illos inuenitur, quamuis in ſchiſmate, quam apud Chriſtianos. Qui ergo vult

cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat, nisi tantummodo per scripturas? Sciens ergo Dominus, tantam confusionem rerũ in nouissimis diebus esse futuram: ideo mandat vt Christiani qui sunt, in Christianitate volentes firmitatẽ accipere fidei veræ, ad nullam rem confugiant, nisi ad scripturas. Alioqui si ad alias respexerint, scandalizabuntur, & perient, non intelligentes quæ sit vera Ecclesia. Hactenus Chrysostomus.

Ex istis documentis horũ præclarissimorũ Ecclesię doctorum, sicut & ex scriptura ipsa, clarum est & in Scriptura Canonica ecclesiã requirendam & demonstrandã esse, non in sermonibus aut rumoribus, aut etiã moribus hominum quorũcunq;: non in Concilijs, non in episcoporum successionibus, non in scriptis, & disputationibus humanis, non in miraculis, non in visionibus, reuelationibus, aut alia re quacunq;. Quando in tanta rerum confusione verisimilibus fallimur, nec quæ sit vera Ecclesia, aliunde quam ex libris Canonicis certò sciri potest. Falsum igitur quod factio Pontificia, somniat, ideo aliquid credendum esse, quia visibilis ille cœtus qui titulum habet Ecclesiæ illud obseruarit, & obseruet, quamuis nullo Scripturæ testimonio probari possit. Vera est enim nuper citata Augu. sentẽtia. Si quis vel Apostolus, vel Ecclesia vel etiã angelus de cœlo, de quacũq; re quę pertinet ad fidẽ, vitãq; nostrã, nobis annun

ciauerit, preterquā quod in ſcripturis legalibus, & euangelicis accepimus, anathema ſit. Cū verò ex ſacra ſcriptura quærenda ſit & cognoſcenda Eccleſia, quemadmodum ſanè non alibi illam, tam ſcripturarum, quam ipſiusmet Catholicæ Eccleſiæ teſtimonio, quæri & demonſtrari oportet: iam equidem non ſcripturas ab Eccleſia, ſed Eccleſiam potius à ſcripturis æſtimari, pendereque oportebit: atque tum ſanè etiam non Scriptura ab Eccleſia, ſed potius Eccleſia à Scripturis omne ſuum pondus, omnemque ſuam authoritatem obtinebit.

De Eccleſiæ circa Scripturam officijs, primum de eo quod libros ſacros ut teſtis aſſeruat.

CAPVT XIII.

MVltis hactenus firmis & ſolidis argumentis declaratum eſt, maximam & eminentiſsimam authoritatem eſſe ſcripturæ Canonicæ, à qua profecta eſt, & qua nititur omnis Eccleſiæ authoritas & excellentia. Quæ certè non dominatur fidei, vt iſti praue ſentiunt. Tametſi enim officium eius eſt, prædicare, monere, arguere, teſtari, atque ob oculos ponere ſacras literas, tamen ſibi credi non poſtulat, niſi qua verba Dei loquitur. Sunt autem quatuor eæque pulcherrimæ Eccleſiæ circa Scripturam functiones. Primò. Aſſeruat libros ſacros vt teſtis.

Quatuor eccleſiæ circa ſcripturam functiones.

Secun-

Secundò, prædicat eos, ac promulgat. Tertiò, discernit eos à nobis. Quartò, interpretatur eos. Atque hæ quidem functiones nequaquam efficiunt vt Ecclesia supra scripturam authoritatem habeat, vt multi stolidè opinantur. Nam quod eã vt testis asseruat, inde non potest confici, ei licere quicquã in sacris voluminibus peruertere aut commutare. Alioqui vim testimonij sui eneruaret, & se malæ fidei testẽ esse proderet. Esseq́; hæc præuaricatio, nõ testificatio. Pura enim & simplex mandati forma seruãda, inquit Ambrosius, vel testimonijs serijs intimãda est. Plerumq́ue testis dum aliquid ad seriem gestorum de suo adijcit, totã testimonij fidem partis mẽdacio decolorat. Nihil igitur vel quod bonum videtur addendum est. Vsitatum est publicas & priuatas tabulas credi tabellionibus, quos vulgò notarios appellant, vt eas asseruent & custodiant quam diligentissimè: quibus tamen fas esse quicquam in illis commutare nemo sanus diceret. Nec authoritatem illorũ credendum est maiorum esse virium, quam voluntatis eorum fuerint, qui ea sic rogarunt literis consignari. Nec refert quod Ecclesia prius verbum Dei viua voce traditum accepit, quam literis consignaretur. Tempore quidem prius est verbum ἄγραφον quam quod postea cõscriptum fuit, vtrumq́; tamen Ecclesiæ collatum est, eiusdem authoritatis, eiusdem efficaciæ. Nam de verbo scripto inquit Scriptura: Habent Mosen

Asseruat scripturæ testis.

De paradiso cap. 12.

Euidens & elegans simile.

Luc. 16.

& Prophetas, audiant illos. Et sicut tunc Ecclesiæ fuit in scriptis Mosis & Prophetarum Deum audire loquentem: ita nunc Ecclesiæ est in scriptis Euangelistarũ, & Apostolorum Christum cum omni reuerentia audire, & spiritus magisterium amplecti. Quanquam autem ingens honos est Ecclesię, diuinitus electam esse, vt huius præcellentis & irrecuperabilis thezauri quasi custos & vindex existeret, tamen vlla ratione licet Ecclesiæ illa scripta, vel torquere vel immutare, aut vllo modo violare, sed debet, vt fidelis custos, summa adhibita cura & prouidentia, libros sacros incorruptos conseruare ad omnem posteritatem.

De eo quod Ecclesia uerbum Dei promulgat.

CAPVT XIIII.

Promulgat scripturas.

SEcundum munus Ecclesię circa Scripturam diximus esse, vt sermones a Deo sibi cõmissos promulget ac prædicet. Qua in re præconis instar se habet, qui licet edicta principum ac magistratuum diuulget, non tamen ea superat, aut æquat authoritate sua: sed totus eius labor est, vt omnia fideliter pronunciet, vt à principibus & magistratibus accepit: quod si secus ageret, perfidię omnino teneretur. Rectè Chrysostomus: Sicut enim preco præsentibus omnibus in theatro prædicat, ita & nos, inquit Apostolus, publicè prædicamus, ea ratione vt nihil addamus,

In Titum Homilia 1.

addamus, sed ea tantum, quę audiuimus, prædicemus. Ea quippe virtus prȩconis est, veraciter quæ sibi credita sunt omnia prosequi, non aliquid addere, aut immutare, aut auferre. Chrysostomo Tertullianus accedit: Nihil, inquit, ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere quod aliquis de suo arbitrio induxerit, Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. Itaq; si angelus etiam de cœlo aliter euangelizaret, amathema diceretur à nobis. Auersemur igitur eos, qui humana commenta & traditiones necessario credendas obtrudunt, & syncerũ in Ecclesia Euangelij prȩconium audiamus summa attentione, & veneremur.

De præscriptio. Hæreticus. VIDE

De eo quod Ecclesia libros sacros ab apocryphis & nothis discernit.

CAPVT XV.

TErtio, Ecclesiæ functionem esse agnoscimus, vt cum sit prædita diuino spiritu, synceros & germanos libros diuinarum literarum ab adulterinis & apocryphis discernat. Sic Euangelium Thomæ, Bartholomæi, Thaddæi, Nazaræorum, Nicodemi, Acta item Petri, varias Apostolorum Apocalypses, librum Pastoris & cõsimiles improbauit. E diuerso quatuor Euãgelia quę habemus, & Apostolica scripta,

Discernit ecclesia adulterinos libros à germanis.

quæ hodie in templis legimus, amplexa est. Et si autem singulare opus & beneficium Dei est, conseruatio certorum Propheticorum & Apostolicorum scriptorum, tanquam diuini cuiusdã thezauri, tamẽ agnoscenda est hic & diligentia & authoritas Ecclesiæ: quę partim testificata est de certis scriptis, partim iudicio spirituali indigna & dissentiẽtia à reliquis Propheticis & Apostolorum scriptis repudiauit. Quod quidẽ eo facilius fuit, quãdo, vt Augustinus ait, eo tẽpore scripserũt, quo nõ solũ ab Ecclesia Christi, verumetiã ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari meruerunt. Verum de libris decernere, non est vtique authoritate superiore pollere, vt multi stultè somniant. Nam cum regiæ literæ afferuntur, possunt quidem ciuitatum præfecti, & proninciarum administratores, ex vsu, & ciuili peritia satis agnoscere, veræne an adulterinæ sint literæ, quæ sibi nomine regis redduntur: eas tamen cum intellexerint non vitiatas, aut fictas esse, nõ licet proprio arbitratu vel inuertere, vel torquere. Nec secus de Ecclesia oportet æstimare. Quæ tametsi fidele testimoniũ diuinis codicibus tulit, non itẽ aliorum monumentis, qui fortasse non solum ab hystorię veritate aberrauerunt, sed plurima etiam inseruerunt, quę Testamento veteri, & alijs Euangelistis refragabantur: non tamen ei permittitur, vt aliter quippiam, atque Deus his literis definiuerit, sapiat, aut constituat. Verum enim-

Discernere non est authoritate superiore pollere.

enimuero si rogati fuissent, qui à spiritu sancto illustrati, sacras literas agnouerunt esse verba Dei, velléntne suam authoritatem illis anteponi? minimè id passi fuissent. Quin è diuersò illis agnitis atque receptis omnino se submiserunt, easque pro norma, gnomone, & amussi certissima suæ fidei, & vitę habendas esse statuerunt: Quamobrem infirma est & languida argumentatio. Ecclesia acceptauit, & discreuit sacras literas ab alijs. Ergo Ecclesiæ authoritas præstat. Quoniam & nos vnum verum Deum agnoscimus, & Iesum Christum admittimus, ab idolis distinguimus, & à Diabolo, neque tamen hinc inferre possumus, nos esse vel Christo vel Deo, præstantiores. Item nostra mens impulsus motusq; spiritus sancti ad legendum, ad orandum, ad castè viuendum admittit, discernitque à mundi, Diaboli, & carnis prauis incitamentis, non tamen ob eam causam dicetur mens nostra, aut superior, aut præstantior spiritu sancto. Quinetiam habitu philosophię pręditus, cum Platonem, vel Aristotelem, vel Galenum, vt nobiles philosophos receperit, & Epicuro Aristippo, aut Democrito anteposuerit, num ex hoc iudicio pręferre audebit authoritatem suam vel Galeno, vel Aristoteli, vel Platoni? Et multi reperiuntur homines emunctæ naris, qui possunt discernere carmina Vergilij vel Ouidij notha à legitimis, qui tamē Vergilio & Ouidio multò sunt imperitiores. Ita

PROVINCIA GERMANIAE INFERIORIS

Ecclesia ista de causa non debet suam fidem, vel authoritatem diuinis literis præferre. Debile, vti diximus, est hoc argumentum, & falsum quod hinc extruunt axioma: Quod ea quæ Ecclesia tradidit & proponit, etiam sine vllo Scripturæ testimonio, eandem habeant authoritatem sicut Scriptura Canonica, cui Ecclesia hanc authoritatem indulserit. Approbata quidem est sacra Scriptura communi Ecclesiæ consensu, sed hic consensus non est placitum hominis, sed necessaria, & à veritate rei expressa testificatio, & confessio. Neque Ecclesia propter hanc testificationem se Scriptura maiorem esse, aut præstantiorem reputauit, imò se illi reuerenter, & regendam, & gubernandam commisit.

Summa. Liquet itaque ex præmissis quomodo se habeat Ecclesia ad verbum Dei scriptum. Est fidelis custos & vindex verbi, extollit illud testificatione, promulgatione, preconio, defensione, patrocinio. Interim tota ab illo, ceu regula suæ fidei pendet, nihil immutat, nihil inuertit, nihil addit, nihil detruncat. Est instar tabellionis, qui apud se testamenta bona fide retinet, cum supra voluntatem vltimam testatoris nihil possit: eam quippe si mutaret aut inuerteret, nequaquam bonæ fidei notarius, verum falsarius, & testamentarius haberetur.

De

De dicto Augustini: Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ authoritas commoueret.

CAPVT XVI.

QVoniam Scripturam contra se facere videt pars Pontificia, vt ipsi authoritatem suam deroget, maiorem Ecclesiæ, cuius titulum placitis, decretisq; suis prętendit, quam scripturarum rationem habendam esse contendit, eo quod Scripturę ipsę sine Ecclesia pondus suum retinere non possint. Sed quam vanè hęc disputent, multis firmissimis argumentis hactenus demonstrauimus. At obijciunt nobis sancti viri Dei Augustini authoritatem, qui cõtra epistolam Manichæi quam vocant Fundamenti sic scripserit: Euangelio nõ crederem, nisi me Ecclesiæ authoritas cõmoueret. Atqui non sentit Augustinus, maiorem esse Ecclesiæ authoritatem, quam sit verbi Dei, neq; concedit Ecclesiæ authoritatem statuendi quicquã contra verbũ Dei, aut condendi nouos articulos fidei, aut abolendi articulos in verbo Dei traditos: tãtum sentit Ecclesiam esse doctricem & testem: Nõ crederemus Euangelio, nisi Ecclesia doceret nos, & testaretur hanc doctrinam ab Apostolis traditam esse. Idẽ Augustinus contra Faustum lib. 28. ca. 2. scribit Manichæos sic debere credere, primum caput Matthæi (quod illi hæretici non recipiebant) ab eo fuisse conscriptum,

quemadmodumipse credebat epistolam, quam appellabant Fudamentum, fuisse Manichæi, quod nimirum apud maiores eorum ita fuerit conseruata, & per manus tradita. Commoueri se scribit consentientibus testimonijs primę Ecclesiæ, ne dubitet hos libros esse traditos ab Apostolis, & fide dignis. Hoc est itaque quod Ecclesia nos commouet ad credendum Euangelio, quia sacras literas bona fide custodit, prædicat, & ab alienis discernit. Et loquitur de Ecclesia illa primitiua, & Apostolica, sicut Gerson Parisien. Cancellarius, vir suo sæculo excellentissimus prudenter, Ibidem: ait, sumit Ecclesiã pro primitiua cõgregatione fidelium, illorum qui Christum audierunt, & viderunt, & eius testes fuerunt. Dũ enim viuentibus adhuc Apostolis, & discipulis Christi, diuersa in ecclesia prodirent Euangelia, potuerunt illi qui ipsum Christum viderant, & Apostolos audiuerant, quid genuinum, quid nothum esset testificari. Similiter Tertullianus & Irenæus nobis commendant authoritatem primæ Ecclesię, recipiunt scripta catholico consensu primæ Ecclesiæ comprobata, & hæreticos ideo ad Apostolicas Ecclesias relegabant, quod integras scripturas illi non admitterent: quare volebant vt earum censum ab illis Ecclesijs, quas Apostolicas fuisse constabat, acciperent. Illas enim conueniebat diuinorum librorum, & testes conseruatrices perpetuò extitisse: nec tamen ea de causa

Primitiua eccl sia cõmouet ad credendum

statuebant

ſtatuebant Eccleſiæ authoritatem ſcripturis an teferendam. Quod ſi Eccleſia Apoſtolica Scripturæ non antefertur, multò minus hæc mitratorum non tam Eccleſia, quam Eccleſiæ putredo & carcinoma anteferetur.

Sed opponunt nobis regulam, quę à Dialecticis vulgò iactatur: Propter quod vnũquodq; tale, illud magis tale iudicabitur. Colligunt ergo ad hunc modum. Si propter Eccleſiam Scripturæ ſua conſtat authoritas, efficitur vt ea magis penes eccleſiam ſit, quam in ipſis ſcripturis reſideat. At ſcire debuerant iſti ſententiam à dialecticis poſitam in cauſis finalibus locum habere. Si quis enim valetudinis cauſa vtatur pharmaco, ſanitas ab eo potius quam pharmacum appetitur. In cauſis vero efficientibus inefficax eſt argumentatio, niſi tota & integra cauſa fuerit adducta. Nam licet homines intemprantes propter vinum ebrij fiant, non poſſumus inde concludere vinum magis quam illos ebrium eſſe: quia tota cauſa ebrietatis non eſt in vino: requiritur enim vt in ventriculo coquatur, & excitentur vapores qui cerebrum perturbent. Molo rhetor Ciceronem in arte oratoria inſtituit: propterea minimè concluditur Molonem in ea facultate Cicerone potiorẽ eſſe: quia præceptor non eſt tota doctrinæ cauſa: requiritur præterea ingenium, necnõ ſtudium & diligentia Sic etiam eccleſia nõ eſt cauſa efficiens tota, & integra eius fidei & authoritatis, quam apud

fideles diuinæ scripturę habent, Deus ipse tanta authoritate eas fundauit, & interiori spiritus sancti persuasione firmatur earum certitudo, sicut nuper ostendimus. Quę vero ad eas confirmandas humana extant testimonia, sic inania non erunt, si præcipuum illud, & summum, velut secundaria nostræ imbecillitatis adminicula, subsequantur. Vnde Augustinus prudenter scripsit. Nisi authoritas Ecclesiæ me commoueret, nec simpliciter posuit, Mouerer, Et quemadmodum Augustinus ipsius ecclesię authoritate permotus, Euangelio se potius, quam Manichæis, credere maluisse testatur: ita & nos eiusdē Ecclesiæ authoritate permoueri omnes meritò deberemus, vt reluceſcenti iam denuo diuino beneficio doctrinæ Euangelij, & Christi potius, cui illa sanè perpetuo credi iubet, quam & Pontificum, & Pontificiorum omnium placitis, ac decretis fidem nostram adhiberemus. Vt etiam contra ipsos hæc Augustini sententia pugnare deprehendatur, quā pessima fide pro se torquent vt ex ijs quæ diximus, palam est.

De *dono interpretationis.*

CAPVT XVII.

Pænes ecclesiam est verus intellectus & interpretatio scripturæ.

QVartò penes veram Ecclesiam est, verus intellectus seu interpretatio Scripturę. Retinet enim fundamentū, & habet donum interpretationis, sed alias purius, alias impurius.

tius. Iuxta hoc donum Ecclesia olim præcipuas, grauissimas, ac difficillimas controuersias de dogmatibus ex scripturis diffiniuit. Vbique enim vt Irenæus inquit, Ecclesia prædicat veritatem, & hæc est ἱστάμενος & lucerna, Christi baiulans lucem. Quò minus ferenda sunt petulantia ista ingenia, quæ veræ Ecclesiæ catholicam intelligentiam & consensum, & omnes Synodos sine discrimine aspernantur, & nouas opiniones prauè detortis scripturis gignunt. Cum igitur in Ecclesia sit donum interpretationis, audire ecclesiam docentem necesse est, cum vel ea quæ in scripturis tradita sunt, explicat, & facem præfert ad dispellendas tenebras, diuinis literis ab hæreticis illatas: vel quę totidem quidem verbis perscripta non sunt, tamen ex locorum inter se comparatione sunt eruta, proponit. Ita pij omnes determinationes synodorum Nicenę, Constantinopolitanę, Ephesinę, Chalcedonensis libentissimis animis amplectuntur. Cæterum hoc donum nō est certis personis aut locis alligatum, & aliâs est in pluribus, aliâs in paucioribus, aliâs magis, aliâs minus illustre aut purum. Sicut Paulus inquit quosdam super fundamentum fœnum & stipulam struere. Et qui habeant donum hæc duo ostendent: Testimonia Scripturę verè consentientia, & Catholicus consensus. Est autem Catholicus consensus Patrum, Prophetarum, Apostolorū, & quicunq; cum horū testimonijs sententia & signi- Catholicus consensus.

Lib. 3.

1. Cor. 3.

ficatione congruunt. Sed quia non semper in Ecclesia hoc donum est satis illustre aut purum, multiplici cautione opus est. Omnia probate inquit Paulus, quod bonum est tenete. Idem tradit prophetias, hoc est, interpretationes esse debere iuxta analogiam fidei. Roma. 12. Explorandæ igitur sunt interpretationes, num sint analogæ fidei, num secundum regulam charitatis, num cum scriptura oracula consentiant. Nam si quid sine Dei verbo affirmatur, frustra Ecclesiæ, Patrum, Synodorum inania nomina prætexuntur, vbi ne angeli quidem sunt audiendi. Nec Ecclesiæ est loqui, sed sponsum loquentem audire, iuxta illud Psalmi: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Patres autem orthodoxi non alia lege scripta sua legi voluerunt, quam vt adverbi scripti trutinam castigarentur, sicut suo loco docuimus. Synodorum munus non est nouum verbum credere, sed acceptum à maioribus aduersus hæreticos illud impugnantes vindicare. Quæ sæcus fecerint, impiorum sunt Cathedræ, & derisorum subsellia, quæ fugere iubemur, vt beati simus. Demum catenus Ecclesia veram intelligentiam retinet, quatenus Christi lumen præfert. Extra hoc stipulas habet, & superstitiosas constitutiones.

Interpretationes probandę quomodo. Gal. 1.

Psal. 45.

Illud vero affirmari non potest, verum intellectum Scripturæ esse penes istos, qui Tyrannicè volunt dominari, neque se verbo Dei subijcere,

Interpretatio scripturæ nō est penes tyrannos.

subijcere, sed illud suis decretis subiectum habere. Non enim isti Christi lucem baiulant, sed suis commentis claræ luci caliginem offundunt, imò densissimis tenebris veritatem Dei suffocant, neque intelligentiæ suæ rationem præstare volunt. Atlantes hi nequissimi sunt veritatis deprauatores, qui suam mentem scripturis nequaquam accommodant, sed ad suam voluntatem mentem scripturarum trahunt atque peruertunt. Quales autem isti sint interpretes, ex ijs quæ subijciam quiuis deprehendere poterit. Christus in Cœna calicem porrigens: Bibite, inquit, ex hoc omnes. Subijcit Marcus: Et biberunt ex eo omnes, isti sua interpretatione dicunt: Non omnes, sed sacerdotes tantum. Epistola ad Hebræos pronunciat matrimoniũ honorabile esse in omnibus: isti dicunt, Non in omnibus, sed in laicis tantum. Paulus dicit: Qui non continent, nubant. Et, Melius est nubere quam vri: at isti suis constitutionibus, & expositionibus bonam partem orbis à nuptijs excludunt. Christus Apostolis dicit: Reges gentium dominantur: vos autem non sic: ibi volunt nos à manifestissima sententia discedere, & nescio quas interpretationes recipere. Vetat lex diuina simulachra proftitui ad cultum: isti volũt vti magines in templis & oratrijs, & habeantur, & colantur. Paulus ait: Nemo vos iudicet in cibo & potu: isti superstitiosum ciborum delectum introduxerunt,

Demonstratio falsę scripturę interpretationis

adeo vt grauius adulterio flagitium ducant, carnium in die veneris, aut quadrageſimali ieiunio guſtum. Sanxit Scriptura nos ex fide iuſtificari ſine operibus: iſti ſua expoſitione contendunt nos operibus iuſtificari. Obſecro, eſt hoc ſcripturas interpretari, an vero eludere? Quis adeo cæcus eſt, vt non videat iſtorum gloſſas textui contrarias eſſe? Hanc poteſtatem interpretandi ſcripturas tanquam legitimam ſibi adiudicarunt, quo pro ſua libidine ſententias peregrinas, & aliena dogmata in Eccleſiam inducerent, & vt vt viſum eſſet, contra verbum Dei pugnarent. Etenim ius authenticæ interpretationis ſcrupulum omnem eximet. Neque tam clarum aut firmum teſtimonium contra obijcietur, quod non quoquo modo eludent. Facillimê enim qualicunque cauillo ſe expedient, quoniam aduerſus contrarias omnes rationes hic oppoſitus erit murus aheneus: Eccleſia ſic ſentit. Si quis habeat, inquiunt, interpretationem Romanæ Eccleſiæ, de loco aliquo Scripturæ, etiamſi nec ſciat, nec intelligat, an aut quomodo cum Scripturæ verbis conueniat, illum tamen habere ipſiſsimum verbum Dei. Iam Romanæ Eccleſiæ interpretatio erit: Ecce duo gladij hic, hoc eſt, Pontifex Romanus habet adminiſtrationem vtriuſque gladij, & ſpiritualis, & politici. Elizæus aquas amaras iniecto ſale per miraculum dulces reddidit, hoc eſt, in Eccleſia

Romanę eccleſiæ interpretatio.

sis debet iam esse aqua exorcizata, & sal benedictum, cuius efficaciam contra diabolum & peccata valere credendum est. Hoc facite in mei comemorationem. Hoc est, Sacerdotes in Missa debent offerre corpus & sanguinem Domini pro viuis & mortuis. Si reclamas has esse corruptelas, non interpretationes, audis, Ecclesia sic intelligit. Túne Ecclesiæ interpretationem reijcies? Ergo nemo audeat huic dilatoriæ, & prætoriæ interpretandi potestati refragari, quæ sic ad suas opiniones Scripturæ verba peruertere non dubitat.

Exempla falsæ interpretationis ex Euangelio.

Haud secus olim Hebræorum pontifices scribæ & Pharisæi se gesserunt: At Christus verus ille Pontifex eorum prauas & peruersas interpretationes refutauit. Deus præceperat in lege: Honora patrem, ac matrem, Sacerdotes autem auaritia impulsi hoc mandatum laxabant & eneruabant, absoluendo scilicet filios ab onere alendorum parentum, suadentes eis vt lautas & opimas oblationes afferrent, quæ parentibus præ alimonia multò prodessent. Reclamauit Dominus, & hoc astuto interpretamento Dei mandatum corrumpi & enervari testatus est. Iuramenta quoque illi sua expositione diluebant, & quædam eorum valida, quædam infirma esse docebant: hic quoque se Dominus falsis eorum commentis opposuit, & eorum interpretationes confutauit. Docebant etiam Legi externa disciplina

Matth. 15.

Matth. 5.

satisfieri, si tantum externis operibus ad eam se homines conformarent. Christus peruersis abiectis glosis, declarauit legẽ non tantum externa opera, sed etiam bonos & sanctos motus animi requirere. Maneat igitur inuiolata lex explorandarũ interpretationum, nec quibuslibet interpretamentis sine iudicio acquiescendum est. Habet enim Ecclesia ius & libertatem dijudicandi, sicut Paulus inquit: Cæteri dijudicent. Propositum mihi erat, inquit Hieronymus, non ad meam voluntatem scripturas trahere: sed id dicere, quod scripturas velle intelligebam. Commentatoris enim officium est, nõ quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretatur exponere. Alioqui si contraria dixerit, non tam interpres erit, quam aduersarius eius, quem nititur explanare. Certè vbicunque scripturas non interpretor, sed liberè de meo sensu loquor, arguat me, cui libet. Hæc Hieronymus. Certè nusquam in Patribus reperias ex eo declarari scripturas, quod hoc vel illud Concilium sic, vel sic eas fuerit interpretatum. Et Augustinus in libris de doctrina Christiana tam multas rationes interpretandarum scripturarum tradit, nec vsquam nos vel ad Synodos, vel Ecclesiam allegat.

1. Cor. 14.

In Apologia de libris contra Iouinianum.

De

De dicto Christi: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi uelut ethnicus & publicanus.

CAPVT XVIII.

QVI dominatum quendam totius religionis sub fuco Ecclesiæ meditantur, quia in Scriptura aut parum, aut nihil præsidij vident, Ecclesiæ laruam tanquam Gorgonis caput nobis obtendunt, vt ea obstupefacti, quæuis decreta, quasuis traditiones, & interpretationes, quæ ipsis modo placuerint, sine examine, sine inquisitione, & dubitatione temerè amplectamur. Itaque vt nos à Scriptura ad Ecclesiæ constitutiones reuocent, aiunt Christum dixisse: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus. Quanquam autem ibi Christus de scripturarum expositione non egit, sed tantum de fraterna correptione, tamen concedimus Ecclesiam esse audiendam, quatenus ex verbo Dei iudicat, respondet, aut loquitur. Sin verò commenta hominum, aut traditiones tantummodo proferat, debemus eam surda aure præterire: præsertim quando pugnantia cum verbo Dei proponit. Stat enim illud Pauli: Si vel angelus quispiam è cœlo aliud Euangelium annunciauerit, anathema esto. Et Hieronymi dictum est: Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuant Concilia, nephas duco. Ad summam includimus Ecclesiam in verbo

Christus Matth 18. non loquitur de expositione scripturarum.

Galat. 1.

Gal. 1.

Domini, quod ei vt regula firma ac certa præfi-
gatur. Neq; alibi illa, in tanta sectarũ atq; hære-
seon, sese inuicem damnantiũ, varietate ac mul
titudine, ostẽdi potest, cum vbiq; sint homines,
& nemo non verã apud se Ecclesiam esse iuret,
sicut nuper ex August. & Chrysost. declarauimus. Quid? Quod idem ipse Christus Domi-
nus, inde potissimũ suos discipulos, ac proinde
suam quoq; proculdubio Ecclesiã, agnosci, æsti
mariq; vult, si verba ipsius fideliter retineant,
atq; obseruẽt. Et electos planè esse testatur, qui-
cũq; doctrinam ipsius retineri, atq; sequi no-
lint. Potestatem verò supra scripturas, quam
isti veteratoria impostura sibi vendicant. Pa-
tres veteres nec agnouerunt, nec quæsiuerunt,
sicut nuper ostensum est. In concilio Nicæno
Constantinus Imperator mandauit congrega-
tis Patribus, vt controuersiam de consubstan-
tialitate Patris & Filij ex scripturis Prophetiçis & Apostolicis definirent. Ibi nemo ei re-
stitit dicendo Ecclesiam ex sua ipsius authori-
tate debere controuersiam dijudicare, quod
ipsa non esset subiecta scripturis, sed potius eas
in sua potestate haberet. Nec sunt conquesti
quod Imper. Eccles. quicquam detraheret, cum
eam regulæ scripturarum subijceret. Et quo-
modo isti scripturas authoritati, iudicio, atque
çensuræ Ecclesiæ subijcient, cum Christus Do-
minus non equidem Ecclesiam doctrinæ suæ,
sed doctrinam potius suam totius in vniuer-
sum

sum humani generis iudicem fore pronunciat? Vt intelligamus non sanè illum ab hominibus quocunque etiam titulo aut prærogatiua ornatis, sed vniuersum genus mortalium ab ipso, iuxta doctrinam verbi sui, iudicandum omnino esse.

De dicto Pauli, Ecclesia est columna & firmamentum ueritatis.

CAPVT XIX.

DICVNT Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, nec errare posse. Loquitur Apostolus, non de vnius alicuius temporis lociue Ecclesia, sed de Catholica, omnium videlicet temporum & locorum Ecclesia, quæ alioqui & Prophetas, & Apostolos omnes, cum omni doctrina illorum, ipsumque a deo Christum Dominum, tanquam summum ac æternum, & proinde vnicum etiam caput suum complectitur. Hæc Ecclesia columna est & fulcrum veritatis doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ. Vnde & nos Augustinum secuti, huius Ecclesiæ testimonio nos permoueri fateamur (quod antea quoque diximus) vt Euangelio potius quam Pontificibus, eorumque decretis & Concilijs omnibus credamus. Vnius verò alicuius temporis lociue Ecclesia (post Apostolos præsertim) non est columna & fundamentum veritatis, nisi quatenus verbum Dei secũ habet, prædicat, retinet,

Quomodo Ecclesia sit columna & firmamentũ ueritatis.

& conseruat: non autem quod illi quasi nutanti aut vacillanti, vel det robur, vel authoritatem conferat: multò minus quod sibi virgulam censoriam in illud vsurpet, aut de eo pro suo arbitrio statuat.

Quomodo Ecclesia nõ erret.

Qua igitur ex eo loquitur, non errat, nec errare potest: extra ipsum verò aut loquens, aut agens, non tantum potest errare, sed errat. Verum isti, dum tyrãnidi suæ Ecclesiæ spetiosum titulum obtendunt, nobis fingunt Ecclesiam, quæ licet præter, seu contra verbum Dei quicquam statuat, nequaquam erret. Et ideo volunt ei potius credi quam diuinis literis. At dum tali sententiæ innituntur, à veteribus Patribus & Catholicæ Ecclesiæ consensu toto cœlo discrepant. Etenim Patres in Concilijs semper decreta sua testimonijs Scripturæ confirmabant. Tametsi verò Concilijs non mediocrem honorem detulerunt, tamen in grauissimis controuersijs, non tam ad Conciliorum præiudicia, quam ad oracula diuina prouocabant. Testis est Augustinus, qui ne Nicæni quidem concilij authoritatem valere voluit, nisi causæ veritate ex scripturis bene perspecta.

Qualis Ecclesia cui tantum aduersarij deferuut.

At quænam est ista præclara Ecclesia, cuius authenticæ & legitimæ interpretationis deferri volunt. Episcoporum scilicet concilium, & mitratorum Synodus, qui ad interprætandam Scripturam non magis apti sunt, quam boues ad Ephippia, aut asinus ad Lyram. Clamant

spiri-

piritum ſanctum promiſſum Eccleſiæ. Fate-
tur. Sed ille nihil ſtatuit contra ſacras literas,
quod iſti planè faciunt. Quare digniſsima eſt
mentione inſignis illa Chryſoſtomi ſententia
Sanctitate, ad adorandũ Spiritum, vbi dicit:
ut Chriſtus non à ſeipſo loqui ſe teſtatus eſt:
ita ex lege loquebatur & prophetis, ita ſi
quid præter Euangelium, ſub titulo ſpiritus ob
tendatur, ne credamus. Quoniã vt Chriſtus le-
gis & prophetarum impletio eſt: ita ſpiritus
Euangelij. Tametſi autem in Eccleſia regnum
& gubernationem obtinent, tamen ad Chriſti
Eccleſiam minimè pertinent, atq; adeo Chriſti,
imò & doctrinæ hoſtes ſunt, & tanquam alieni
ea tyrannidem exercent, de quibus alicubi
Auguſtinus: Sunt, inquit, & intus hoſtes Dei,
quorum pectora obſedit ſpiritus Antichriſti: &
nomen gerunt, ſpiritualia & diuina, &c Errant
certè qui ordinariæ poteſtati, & alijs externis
pompis Eccleſiam affigunt. Clamat contra Au
tentium Hilarius: Vnum moneo, caute Anti-
chriſtum. Malè enim vos parientum amor cœ-
pit, malè Eccleſiam Dei in teſtis ædificijſq; ve-
neramini, malè ſub ijs pacis nomen ingeritis,
nne ambiguum eſt in ijs Antichriſtum eſſe
eſſurum? Montes mihi, & ſyluæ & lacus, & vo
agines, & carceres ſunt tutiores. In ijs enim
rophetæ, aut manentes, aut demerſi prophe-
abant. Multoq; verius in noſtra competit tem
pora, quod idem Hilarius olim ſcripſit: Grauis

De Trinita
te lib. 6.

enim & periculosus error in plurimis, & multorum lapsus, etiamsi se intelligat, tamen exurgendi pudore authoritatem sibi præsumit, ex numero habens hoc impudentiæ, vt quod erat prudentiæ velit existimari: & quod cum multis errat, intelligentiam esse asserat veritatis, dum minus erroris esse existimatur in multis.

De dicto Pauli: Fratres perstate, & tenete traditam doctrinam quam edocti estis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.

CAPVT XX.

PEnè præterieram locum Pauli, quem nobis superstitionũ defensores tanquã Achilleum argumentum obijcere solent. Is enim 2. Thes. 2. sic habet: Nẽpe igitur fratres, perstate, & tenete traditam doctrinã quam edocti estis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Ex loco hoc manifestissimum est, inquiũt, non omnia quæ necessariò tenenda sunt, in scriptis Apostolorum comprehensa esse: sed ea etiam, quæ ab Apostolis viua voce tradita, per traditiones ad nos peruenerunt, pari reuerentia & pietatis affectu suscipiẽda esse. Atqui cum probare non possint, eas quas defendunt traditiones esse Paulinas, plusquã ridiculi sunt & inepti, dum fœtidam superstitionũ suarum columnam Apostoli testimonio tueri volunt. Et cum

Non loquitur Paulus 2. Thess. 2. de Traditionibus Papistarũ.

hanc epistolam scriberet Paulus, nondum Ca-
non Scripturæ noui Testamenti constitutus
erat. Qui cum spiritu sancto authore constitu-
tus sit, sicut nuper docuimus, non sine eiusdem
spiritus insigni contumelia, post eius constitu-
tionem homines rerum credendarum autho-
res facimus. Quare in hoc negotio summa at- 2. Tim. 3.
tentione consyderandum est, quod Paulus cir-
a finem vitæ suæ de Scripturarum sufficientia
tradit cum ait: Scripturam diuinitus inspira-
tam vtilem esse ad docēdum, & confutandum,
nec non ad corrigendum atque instituendum,
vt perfectus & absolutus sit homo Dei, atque
ad omne opus bonum instructus. Nam si scri-
ptura hominem Dei instructum, perfectum,
& absolutum ad omne opus bonum reddit, cer
tum nullo in opere bono traditionibus vltra in-
quirendum, perficiendum, aut absoluendum re-
linquit. Quare quoties isti adferunt opus quod
bonum esse contendunt, aut aliquid creditu ne
cessarium, quod non possit ex sacris literis pro-
bari: equidem potius id quod afferunt, aut bo-
num, aut vtile esse non dixerim, quam vt de scri
pturæ eminētissima authoritate secus pronun-
cem, atq; Apostolus de ea statuit. Quid? quod
non cōtraria, nō diuersa, nō alta, sed vna & eadē
sit doctrina, quā Apostoli, siue per sermonē,
siue per epistolā tradiderunt? Tametsi enim nō
omnia scripserūt, curarūt tamē vt q̄ tradebant,
his quæ scripta vel à se, vel in ijs sacris libris

manifestè posset inferri. Alioquin iactarentur vbiq; variæ superstitiones, antiquitus receptæ, tanquam ab Apostolis proditæ, quæ non alia ratione possunt agnosci, nisi quod à scripturis omnino sunt alienæ, ad quas tanquam ad gnomonem, & amussim omnes traditiones, constitutiones, ritus examinari debent. Quando neque Ecclesia fidelium conscientias suis constitutionibus obligat, nisi quatenus mandatis Domini nostri Iesu Christi sunt consonæ. Nouit enim scriptum esse: Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

Prorsus eandē esse doctrinam quam Apostoli uiua uoce & quam scriptis tradiderunt, & hanc esse formam Apostolicarum traditionum, si sacris literis sint consonæ.

CAPVT XXI.

Psal. 118.

QVod autem asserui vnam atq; eandem esse doctrinam siue quam Apostoli viua voce, siue quam per epistolas tradiderunt, cum è sacris literis confirmari potest, tùm è testimonijs Patrum & consensu Ecclesiæ manifestum est. Traditio Pauli est, vt mulier sit in Ecclesia tecto capite, & vt Christiani qui pauperes essent, manibus operarentur, nec otiosè viuerent. Sed ista, cum suas traditiones esse profiteretur, non nudè & simpliciter Ecclesijs proponit, & sine vlla probatione & dijudicatione, hoc

1. Cor. 11.
2. Thess. 3.
2. Cor 14.

Traditiones Pauli.

hoc duntaxat titulo, recipi vult, quod sint traditiones Apostolicæ? Nequaquam: imò rationibus efficacibus ijsque ex scriptura deductis eas approbare & confirmare nititur, deq; ijs Ecclesiæ iudicium permittit. Idem alicubi scribit, vt omnia decenter & secundū ordinem fiant. Habemus igitur ex istis Apostolicarum traditionum formam: Nempe si sacris literis cōformes sint, si ratione quam efficaci, si consecutione ędificationis, si exēplo Ecclesiarum, si decentia, & ordine confirmentur. Quibus ijsdem argumentis nos quoq; debemus Ecclesiasticas traditiones examinare. Verū hodie cum testimoniū requiritur ex sacris literis de aliqua re: aut vt de sui ipsis abusibus & superstitionibus rationē reddāt, Antichristi semper in ore habent: Traditio est non licet inquirere. Atqui traditiones quæ nobis proponuntur, ad normā verbi Dei sunt expendendæ, neq; Paulus aliter sibi credi voluit. Hoc aduersarij nostri quoq; faciant, si traditionibus suis relinqui locū volunt. Et totius Apostolicæ Ecclesiæ consensus est, neq; alia, neq; diuersa Ecclesiæ tradidisse Apostolos ab ijs quæ in scriptura Canonica continētur. Qua de re luculentissima aliquot veterū testimonia adscribam; Irenæus author est Apostolos idem Euangelium quod viua voce prædicauerunt, postea per Dei voluntatem in scripturis tradidisse Ecclesiæ, vt hoc scriptum Euangelium, fundamentum esset & columna fidei nostræ, illius inquā

Traditio est non licet inquirere.

Lib. 3. ca. 1.

veræ ac viuificæ fidei, quam ab Apostolis Ecclesia percæpit, & filijs suis distribuit. Nihil igitur diuersum Apostoli viua voce tradiderunt ab ijs quæ scriptura noui Testamenti complexi sunt. Memorabilis est eiusdem Irenæi apud Eusebium sententia, vbi narrat Polycarpum ea quæ ab illis, qui ipsi verbum vitæ viderant, percæperat, annunciauisse πάντα σύμφωνα τοῖς γραφαῖς, hoc est, omnia consona scripturis. Verè aurea est hæc Irenæi sentētia, quę & pleraſq; veterū de traditionib. sententias declarat, & prorsus consentit cum ea forma traditionū, quā ex Paulo docuimus. Apostoli multa tradiderunt viua voce: Viri Apostolici hæc sic tradita acceperūt quæ suis postea discipulis rursus tradiderunt: sed Irenæus inqt, illa omnia fuisse σύμφωνα τοῖς γραφαῖς, cōsona scripturis. Ergo Irenæi testimonio, nihil Ecclesijs viua voce tradiderunt Apostoli, quod à scripturis esset dissentaneum. Quare si hoc quęrunt Pontificij vt traditiones quas tuendas suscęperunt, agnoscamus & veneremur pro Apostolicis, ostendant earū συμφωνίαν cum scriptura Canonica. Hanc si ostendere non possunt, pudefacti vanitatem suā agnoscant. Neq; enim existimandæ sunt vllę traditiones ad salutē necessarię, quę firmiter ac robustè ex scriptura nō cōcluduntur. Nobis enim inquit Tertullianus curiositate opus nō est post Christū Iesum, nec inquisitione post Euangelium. Cū credimus, nihil desyderamus vltra credere. Hoc enim prius credimus

Lib. 3. ca. 20

Traditio congruat cum Scriptura.

credimus non esse, quod vltra credere debemus. Præclarè Hieronymus: Gladius Dei, inquit, qui est sermo Dei viuus, percutit illa, quæ absq; authoritate & testimonijs scripturarum, quasi traditione Apostolica homines sponte reperiunt, & confingunt. Et Augustinus anathema dicit omnibus Angelis, & hominibus qui, siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacũq; alia re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, nobis annunciauerint, prætérquam quod in scripturis legalibus, & Euangelicis accepimus. Plura testimonia Patrum nuper coaeruauimus, quæ diligens lector suo loco inspiciat. Habemus igitur ex Patrum traditione, Apostolos non aliud euangelizasse, quam quod in scriptura Canonica continetur, & ex hac dijudicandum esse, quæ sint traditiones Apostolicæ. Si ex animo Ecclesiæ consensum venerarentur aduersarij, quemadmodum verbis præ se ferũt, an tanta impudẽtia, subinde eũ aspernarentur? Traditiones tanquã Apostolicas Ecclesiæ venditant, quę vel ipsorũ testimonio, nullis scripturis probari possunt. An tam vecordes sunt, ac stupidi, vt non sentiant, quid de ipsis pronunciet Catholica consensio? Iam audiuimus traditiones eiusmodi gladio verbi percutiendas, & præcones earum anathemate feriendos, & in hæreticorum castra ablegandos esse. O stulti, & miserandi tenebriones, ô blasphemi scripturaum præuaricatores, quando tandem

In 1. capitis Aggæi.

Apostoli nil tradiderunt quod nõ cõgruat cum Scriptura.

redibitis ad cor, quando errorē vestrum agnoscetis? Quando dogmata vestra, & traditiones ad scripturę Lydium lapidē examinabitis? Sic ne amentes & cœci nunquā cum Ecclesia Dei Catholica scripturæ plenitudinem, perfectionē & sufficientiā agnoscetis & venerabimini? Siccine perpetuò à verbi Dei purissimo tritico ad traditionū paleas & siliquas conuertimini?

Demonstratio Traditionum uerè Apostolicarum ex uetustißimis scriptoribus. Irenæo & Tertulliano.

CAPVT XXII.

QVæ sint antiquissimæ, & verè Apostolicæ traditiones, vetustissimi, & Apostolorum temporibus proximi scriptores Irenæus atq; Tertull. apertè nobis demonstrāt. Hi enim cum de dogmatibus certamen haberent cum hęreticis, traditionē Apostō. & Ecclesiasticam proferunt in mediū, vt eius authoritate causam suam stabiliant, & de ea honorificam mentionē faciunt. Sed operæpretium est considerare qua occasione, qua ratione, quo itē modo & temperamento id faciant. Sic enim liquidò apparebit Ecclesiā, tunc temporis nulla ex traditione habuisse dogmata, nulla fidei mysteria, nisi quæ in scriptura fundata essent. Irenæo negotium erat cum improbissimis hæreticis, qui nihilò plus scripturæ authoritate mouerentur,

Quales antagonistas & hostes habuerit beatus Irenæus.

tur, quam vniuersæ Ecclesię consensu. Itaq; aut eludebant, aut impudenter respuebãt quicquid obijceretur. Si conuincerentur scripturis, eas tum authoritatem eleuabant, imò accusabant tanquam minus authenticas, aut obscuræ & incertæ sententiæ, aut insufficientes. Se verò ex traditione sapientiam habere iactabant Apostolis altiorem, & perfectiorem. Si ad Ecclesiæ consensum reuocarentur, dicebant non mirum esse, si Ecclesia puram doctrinam non seruaret, quæ corruptam & fermento vitiatam, non tantum à discipulis, sed à Domino quoque acceperat. Itaque gloriabantur se etiam Apostolorum esse emendatores. Quid ad hæc Irenæus? Non per alios, inquit, habemus salutis nostræ dispẽsationem, quam per Apostolos, qui quod voce promulgarunt, postea scripto nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Postea hanc quoque alteram partem vrget, quod fidei vnitatem, in scripturis fundatam colerent Ecclesiæ omnes, ab Apostolis edoctæ, & institutæ. Ita tamen vt hæreticorum deliria ex Scriptura, tanquam perfectæ & absolutæ sapientię regula confutet. Cum similibus portentis Tertullianus quoque conflictatus est Lubricis tergiuersationibus elabi solenne illis erat. Si scripturarum authoritate premebantur, aut eas respuebant: aut si quas recipiebant, adiectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertebant,

Lib. 3. capo 3. 4.

De præscri pt. hæret.

gut peruersis commẽtarionibus deprauabant. Quia igitur contra tales scripturarum congressiones non multum proficiebatur, hoc studiose agit Tertullianus, vt doctrinam certè scripturis proditam, apud simplices & infirmos hac quoque nota confirmet, quod eam viua quoque voce Apostoli per manus tradidissent. Cũ igitur in istis certaminibus hæretici scripturas respuerent, tanquam non per omnia recipiendas, & quasi essent obscuræ & dubiæ sententiæ nec ex ijs solis intelligi possit veritas, si nescias traditionem, vtrinq; ad traditionem prouocatũ est. Et quia vtrinq; iactabantur traditiones disputata est quæstio, Quæ sit vera Apostolorũ traditio. Probant Irenæus & Tertul. illam solã esse veram traditionem, quam Christus à Deo acceptam tradidit Apostolis: & quam Apostoli rursus tradiderunt Ecclesijs, & quæ in Ecclesijs per successionẽ presbyterorum custodita fuit. Continetne hæc traditio doctrinã diuersam ab ea quę habetur in scriptura Canonica? Minimè. Hoc enim nomine traditiones quas hæretici iactabant erroneas & commntitias damnabant. Quid igitur continet contra hæreticos in certamen producta traditio? Non diuersam, nõ aliã doctrinam, quã quę in scriptura tradita erat, sed eos ipsos fidei articulos, qui veluti summã totius scripturę complectũtur. Recitat enim vterq; quæ sit illa traditio quam Ecclesia per Apostolos acceptã hactenus synceram cõseruauerit, &

Quæ vera Apostolorũ traditio.

sunt

sunt illa ipsa dogmatum capita, quæ symbolũ Apostolicũ complectitur. Illa verò in Scriptura multis manifestis testimonijs tradi, nulli dubium est. Non igitur aliquod aliud dogma fidei ex traditione probant, præter illa quæ in Scriptura continentur, sed eadem illa dogmata quę in Scriptura comprehenduntur, ostendunt, & probãt etiam ex traditione. Quorsum hoc? Vt scilicet demonstrarent, consensum veræ traditionis Apostolicę cũ Scriptura: ita vt eadem sit doctrina quã Scriptura tradit, & quã primitiua Ecclesia ex Apostolorum doctrina accepit. Attente aũt consyderandũ est, ista Irenæi & Tertulliani disputatione firmissimè muniri nostrã sententiam de authoritate, perfectione, & sufficientia scripturarum: & simul refutari Pontificiorum disputationes de traditionibus quę nullo Scripturæ testimonio probari possunt. Probant enim consensum traditiones Apostolicæ, & Scripturę, ita vt traditio non opponatur Scripturę, tanquã vel falsæ, vel ambiguæ, vel imperfectæ, sicut hæretici contendebant: sed ex traditione probatur & confirmatur veritas, authoritas, certitudo, & absoluta perfectio Scripturæ. Quando igitur proponuntur traditiones quæ cum Scriptura non consentiunt, & ex Scriptura ostendi & probari non possunt: certissimum est eas non esse Apostolicas. Firma sunt hæc, & solida, nec vllis Sophistarum strophis euerti possunt.

Iam si quæritur quæ sit vera antiqua & Apostolica traditio: non opus est extra Scripturam eam quærere. Irenæus enim & Tertullianus in illa de qua diximus disputatione, non in genere tantum loquuntur: sed quæ sit Apostolica traditio in specie perspicuè & expressis verbis ostendunt, & recitant. Audiamus igitur Irenæum exponentem traditionem veritatis, quam ab Apostolis Ecclesia percipiens custodit. Ecclesia, inquit, per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Et in vnum Iesum Christum filium Dei, incarnatum pro nostra salute, & in spiritum sanctum, qui per Prophetas prædicauit dispositiones Dei, & aduentum, & eam quæ est ex virgine generationem, & passionem, & resurrectionè à mortuis, & in carne in cœlos ascensionem dilecti Iesu Christi Domini nostri, & de cœlis in gloria Patris aduentum eius, ad recapitulanda vniuersa, & resuscitandam vniuersam carnem humani generis: Vt Christo Iesu Domino nostro, & Deo, & saluatori, & regi, secundum placitum Patris inuisibilis, omne genu curuetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, & iudicium iustum in omnibus faciat, Spiritalia quidem

Lib. 1. cap. 3. & 3.

Irenæus exponit quæ sit vera Apostolica traditio.

quidem nequitiæ, & Angelos transgressos, atque apostatas factos, & impios, & iniustos, & iniquos, & blasphemos homines in æternum ignem mittat. Iustis autem, & æquis, & præcepta eius seruantibus, & in dilectione eius perseuerantibus quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circundet. Hãc prædicationem cum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem in vniuersum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit hijs, videlicet quasi vnam animam habens, & vnum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit quasi vnum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, tamen virtus traditionis vna & eadem est. Et neque hæ quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neq; hæ quæ in Hiberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hę quę in Aegypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ: sed sicut sol creatura Dei in vniuerso mundo vnus, & idem est, sic & lumen, prædicatio veritatis, vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque qui valde præualet in sermone, ex hijs qui præsunt Ecclesijs, alia quam hæc sunt dicit. Nemo enim su-

per magistrum est: neque infirmus in dicendo deminorauit traditionem. Cum enim vna & eadem fides sit, neque is qui multum potest de ea dicere, amplius: neq; is qui minus, deminorat. Hactenus Irenæus. Hæc igitur est Apostolica traditio, hęc vera Ecclesię antiquitas, hęc Catholica consensio. Est autem dignũ consideratione quod disertissimos quosq; inter eos qui pręsunt Ecclesijs, non alia, quã hæc sunt, dicturos affirmat. Ergo Pontificij quoties de alijs nænijs fabulantur, à traditione Apostolica, vnitate fidei, & Catholico consensu recedere iudicandi sunt.

Quos loces communes primitiuæ ecclesię pastores tractarint.

Recenset autem proximo capite Irenæus veluti locos communes, quos Ecclesiæ primitiuæ pastores tractare solebant. De quibus igitur rebus in Ecclesia differebant? num de Purgatorio? num de simulachrorum cultu? num de aqua lustrali, & reliquis nugis Pontificijs? Nequaquam. De quibus igitur? De apostasia transgressorum Angelorum, de lapsu & inobedientia primorum hominum, de promissionibus temporalibus, & cœlestibus, & terrenis, de varijs Dei apparitionibus, de discrimine Testamentorum, quare concluserit omnia in incredulitatem Deus, vt vniuersis misereatur, de causa incarnationis & passionis verbi, quare in nouissimis temporibus aduenerit Filius Dei, & non initio, de vocatione gentium, de fine sæculi, de resurrectione carnis, & reliquis eiusmodi quæstionibus ex media scriptura desumptis.

Vnde

Vnde liquet nihil tunc præter scripturas tradi in Ecclesia solitum.

Rursus idem Irenæus lib.3.cap.4. Tantæ igitur ostensiones cum sint, hæc nõ oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositoriũ diues plenissimè in ea contulerint omnia, quæ sint veritatis, vti omnis quicunq; velit, sumat ex ea potũ vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt, & latrones, propter quod oportet deuitare quidem illos, quæ autem sunt Ecclesię, cum magna diligentia diligere & apprehendere veritatis traditionẽ. Quid enim & si cui de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nõne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias in quib. Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, & re liquidum est? Quid autem si neq; Apostoli quidẽ scripturas reliquissent nobis, nõne oportebat ordinẽ sequi traditionis, quã tradiderunt ijs quibus committebant Ecclesias, cui ordinationi assentiũt multę gentes barbarorum, eorum qui in Christum credũt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionẽ diligenter custodientes, in vnum Deum credentes fabricatorẽ cœli & terræ, & omnium quę in eis sunt, per Christum Iesum Dei filiũ. Qui propter eminentissimam erga figmentum suũ dilectionem, eã quæ esset

Rursus ex Ireneo exponitur quę uera antiquatraditio apostolica.

ex virgine, generationem ſuſtinuit, ipſe per ſe hominem adunans Deo, & paſſus ſub Pontio Pilato, & reſurgens, & in claritate receptus in gloria, venturus ſaluator eorum qui ſaluantur, & iudex eorum qui iudicantur, & mittens in ignem æternum transfiguratores veritatis, & contemptores Patris ſui, & aduentus eius. Hãc fidem qui ſine literis crediderunt, quantum ad ſermonem noſtrum barbari ſunt: quantum autem ad ſententiam, & conſuetudinem, & conuerſationem, propter fidem per quam ſapientiſsimi ſunt, & placent Deo, cõuerſantes in omni iuſticia, & caſtitate, & ſapientia: Habes iterum ab Irenæo deſcriptam veram & veterem Apoſtolorum traditionem, quæ nihil tradit extra & præter Scripturam, ſed complectitur ſummam totius Scripturæ.

Tertulliani teſtimoniũ de traditione apoſtolica.

Reſtat vt Tertullianum quoq; audiamus de traditione Apoſtolica teſtificante: Regula eſt fidei, inquit, illa ſcilicet, qua creditur vnũ omnino Deũ eſſe, nec aliũ, præter mundi creatorem, qui vniuerſa de nihilo eduxerit per verbũ ſuũ primò omnium emiſſum: id verbũ Filius eius appellatũ in nomine Dei, variè viſum Patriarchis, in Prophetis ſemper auditũ: poſtremò delatũ ex Spiritu Patris Dei & virtute, in virginẽ Mariam carnẽ factũ in vtero eius, & ex ea natum, egiſſe Ieſum Chriſtum, exinde prædicaſſe nouam legem, & nouam permiſsionem regni cœlorum, virtutes feciſſe, ſediſſe ad dexterã Pa-

ris,

tis, fixum cruci, tertia die resurrexisse: In cœlos ereptum, sedere ad dexteram Patris, misisse vicariam vim spiritus sancti, qui credentes agat: venturum cũ claritate, ad sumendos sanctos in vitæ æternæ, & promissorum cœlestium fructum, & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta vtriusque partis resurrectione, cũ carnis restitutione. Hæc regula à Christo, vt probabitur, instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Hæc Tertullianus, qui quidem in describenda traditione Apostolica prorsus cum Irenæo consentit.

Et horum vetustissimorum scriptorum testimonia ostendunt vnde natũ sit symbolum, quod vulgò Apostolicum vocant, quod certè est antiquissima traditio, quam à viris Apostolicis acceptam hactenus custodit Ecclesia. Subijcit autem in eodem de Præscriptionibus libro Tertullianus: Vnum Deum nouit (Ecclesia) creatorem vniuersitatis, & Christum Iesum ex virgine Maria filium Dei creatoris, & carnis resurrectionem. Legẽ & Prophetas cum Euangelicis & Apostolicis literis miscet. Inde portat fidem, aqua signat, sancto spiritu vestit, eucharistia pascit, martyrium exhortatur: & ita aduersus hanc institutionem neminem recipit. Ex quibus verbis clarum est Ecclesiam primitiuã nullas traditiones agnouisse, quæ in Scriptura fundatæ non essent. Symbolum apostolorũ.

Quanquam autem fusè hæc disputauerim, tamen quia Pontificij subinde locum Pauli secundo, Thessaloni. 2. aduersus Scripturam pro suis traditionibus, tanquam Aiacis clypeum obtendunt vbi ait, State, & tenete doctrinam quam edocti estis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram Omittere nō possum, quin ex eodem Irenæo euidenter ostendam, Paulum eandem & non aliam & doctrinam viua voce gentibus prædicasse, quam & per Epistolas ijsdem tradidit. Duobus enim locis Paulinam traditionem clarissimè describit Irenæus, capite quinto, libro tertio, & capite 41. libro quarto. Eius descriptionis hæc sunt capita: Deos gentium non solum non esse Deos, sed idola esse dæmoniorum. Esse autem vnum verum Deum, qui sit super omnes, & omne nomē quod nominatur, hunc solum esse colendū. Discederent igitur ab idolorum superstitione, relinquerent vana ligna & lapides, quæ suspicabantur esse Deos, & vnum verum Deum colerent, factorem cœli & terræ, & vniuersæ conditionis fabricatorem. Qui constituisset & fecisset omne humanum genus, & per conditionem suam aleret, & augeret, & constabiliter eis esse præstaret. Esse autem huius filium verbum eius, per quem constituit omnia. Hunc in nouissimis temporibus (quanquā naturaliter verbum inuisibile esset) hominum visibilem, &

Irenæus de traditione Paulina.

palpa-

palpabilem, in hominibus factum, & vsque ad mortem descendisse, mortem autem crucis, reformasse humanum genus, destruxisse, & vicisse inimicum hominis, & donasse suo plasmati aduersus reluctantem victoriam. Et eos qui in eum credunt, incorruptibiles, & impassibiles futuros. Legem ergo sibi tanquam vitæ regulam præfigerent. Non mœchari, non furari, non fraudare, & quæcunque in exterminium proximorum fiunt, mala esse, & odiri à Deo. Has operationes vetitas, malas, & exterminatorias, & inutiles esse, & damnosas hijs qui operantur eas. Inculpatè igitur viuerent, & expectarent filium Dei Iesum Christum, qui redemit nos de apostasia sanguine suo, ad hoc, vt essemus & nos populus sanctificatus, ad cœlos ascensurus in virtute Patris, qui & iudicium omnium facturus est, & ea quæ à Deo sunt bona donaturus his, qui seruauerint præcepta eius. En traditionem Pauli, ab antiquissimo Ecclesiæ scriptore Ireneo posteritati traditã. At nonnè eadẽ passim in Epistolis suis inculcat: vt prorsus eadem sit doctrina, qua viua voce sonuit, & quam scriptis tradidit. Imo ab Ireneo descripta traditio compendium videri possit eorum quę scripsit. Vt verisimè scripserit, ea quę Apostoli tradiderũt fuisse omnia σύμφωνα τοῖς γραφαῖς, cõsona sanctis scripturis. Tales igitur fuerũt, sunt, & debẽt

esse omnes traditiones, quę tanquam Apostolicæ proferuntur. Proinde semper examinandę sunt, an habeant illam Irenæi συμφωνίαν cum scriptura Canonica.

De malitia & fraude Sophistarum, qui uocabulo Traditionis (quod uarie accipitur fucum faciunt.

CAPVT XXIII.

OStendimus hactenus prorsus eandem doctrinam esse quã Apostoli viua voce promulgarunt, & quam Scriptura Canonica tradit, vt vanè disputent Romanenses, multa quæ ad institutionem fidei, & formandos mores necessaria sunt, quanquam nullo Scripturæ testimonio probari possint, tamen ex nuda traditione suscipienda & credenda esse. Quapropter semper tenendum est illud quod nuper ex Augustino citauimus. Fidem ex scripturis conceptam esse. Sępe quidem fit mentio traditionum à vetustis scriptoribus sed non eo consilio, vt fides nostra extra scripturas currat, in quibus ipsam perpetuò includunt. Cumq; variè apud veteres vsurpetur vocabulum Traditionis, nec eiusdem generis sint traditiones, detestanda est Sophistica, harum omnium mixtura fucum facere. Consyderandum igitur est, quæ testimonia veterum, ad quod genus traditionum pertineant, & quid de singulis sentiendum sit, ne

omnia

omnia, ſine diſcrimine in patrocinium corruptelarum, abuſuum, & ſuperſtitionum aduocentur. Diſtinguamus igitur traditiones in certa capita.

Genera traditionū uaria.

Primum patres ſæpe per vocabulum Traditionis intelligunt Scripturā Canonicam noui Teſtamenti, vt cum Cyprianus ad Pompeium inquit: Vnde eſt iſta traditio? Vtrū de Dominica & Euangelica authoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atque epiſtolis veniens? Ea enim faciēda eſſe quæ ſcripta ſunt, Deus teſtatur, & proponit ad Ioſue dicens: Nō recedet liber legis huius ex ore tuo, vt obſerues facere omnia quæ ſcripta ſunt. Si igitur aut in Euangelio præcipitur, aut in Apoſtolorū Epiſtolis & actibus continetur, obſeruetur etiā hęc ſancta traditio. Item Baſilius lib. 3. contra Eunomium: Baptiſmus noſter eſt iuxta ipſam Domini traditionem in nomen Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Eſtq; diligentiæ animaduertere vbi veteres hoc ſenſu dictionem traditionis vſurpent. Nam vbicunq; hanc vocē inueniunt pontificij, mox eam detorquent ad ſuas illas traditiones, quas ex Scriptura probare non poſſunt.

Traditio scriptura.

Traditio articuli fidei.

Secundò veteres appellatione traditionis intelligunt articulos fidei qui ſymbolo Apoſtolorum continentur, ſicut nuper ex Irenæo & Tertulliano luce clarius demonſtrauimus. Qui ſymbolum illud proponunt, tanquam perfectam fidei regulam, cui nec adijci quicquam,

nec detrahi posit, & qua salua tuta sit de rebus omnibus inquisitio.

Traditio ex uerbo deriuatum.

Tertiò Patres verbo traditionis intelligunt sententiã in scripturis sacris ad verbum quidẽ non expressam, sed ex eius vera interpretatione, quam Apostoli viua voce prædicarunt, & eorum auditores, & successores nobis tradiderunt, exceptam, & conseruatã, vt exempli gratia, λόγον significare personam: in diuina natura tres esse hypostases, & vnam eandemq; essentiam: Filium Patri esse coæternũ, & consubstantialem: Christo Domino duas esse naturas, personam vnam: Spiritum sanctum cum Patre & Filio simul adorandũ & conglorificandũ: Christi carnẽ nobis esse consubstantialem: infantes iure baptizari, & cætera huius generis, quæ tametsi non expressa legimus in scriptura oraculari, attamẽ ex mente & intelligentia scripturarum intelligenda esse, priscorũ Patrum & grauissimorum Conciliorum authoritate didicimus. Atq; hæc intelligentia non est ab ipsa Scriptura separanda, cũ in ea contineatur, vel tanquam definitio in definito, vel tanquam conclusio in præmissis. Quamuis autem traditio Ecclesiastica nobis Scripturam, eiusq; intelligentiam annunciarit, authoritatem tamen ei, quã habet diuinitus insitam, non contulit. Etenim à quibus hanc traditionẽ accepimus, testes tantũmodo sunt cœlestis doctrinæ, non authores. Qua de re suo loco copiosẽ disceptauimus.

Postremò

Traditiõnes ritus uſtati.

Poſtremò vbi veteres mentionem traditionum faciunt, non de doctrina fidei agunt extra & præter Scripturam recipienda, etiamſi nullo Scripturę teſtimonio probari poſsit, ſed de ritibus quibuſdam vetuſtis loquuntur, quos propter antiquitatem ad Apoſtolos retulerunt. Horum pars ab illis originẽ habere videtur, pars autem illis authoribus eſt indigna. Cęterum ad quam regulam eiuſmodi ritus ſint probandi & examinandi, ſupra dictum eſt. Cumq; tam variè vocabulum traditionis à Patribus vſurpetur, certè ſcelerata Sophiſtica eſt, hæc omnia ſublato diſcrimine commiſcere, vt ſuperſtitionibus partim Iudaicis, partim ethnicis, titulo traditionum obtectis, extra Scripturam ſuffragium quæratur.

De incertitudine, pugnantia, & uarietate Traditionum.

CAPVT XXIIII.

ILlorum etiam noranda, & repudianda venit væcordia, qui doctrinę certitudinem cũ ex traditionũ authoritate, tũ ex ijs quæ vocant ἄγραφα magis quam ex ſcripturis pendere volunt, præſertim cum traditiones Apoſtolicas, non poſſint alicubi nobis oſtendere collectas & deſcriptas, neq; probare valeant Apoſtolos authores habere, quaſcunq; hoc titulo traditiones commendant. Recitantur quidẽ à Patribus diuerſis

in locis traditiones, tanquam ab Apoſtolis acceptæ, ſed quæ ex eis colliguntur, partim abolitæ ſunt, partim etiam non bene inter ſeſe conſentiunt: quî fit vt nõ omnes habendę ſint Apoſtolicæ, neq; Chriſtiana fides tam infirmo & caduco fundamento fulciri poſsit, quam aduerſus omnes inferorum machinas inuictam ſtare oportet. Traditio fuit apud Tertullianum, vt baptizatis illico mel & lac darentur, quo ſic, vt ipſe loquitur, infantarentur. Traditio fuit tempore Cypriani & Auguſtini, vt euchariſtia, & quidem ſub vtraque ſpecie, daretur infantibus atque ita daretur vt ad ſalutem neceſſaria. Hieronymus in Commentarijs ſuis in Matthæum cap. [illegible]ait traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, vt in die vigiliarum Paſchę ante noctis dimidium populos dimittere nõ liceat expectantes aduentum Chriſti. Hæc & huiuſmodi alia cum apud veteres titulo traditionum Apoſtolicarum legantur, tamen abolita ſunt, & hodie nuſquam gentium obſeruantur, vt bene ſcripſerit Tertullianus de velandis virginibus. Regula quidem fidei vna omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in vnicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium eius Ieſum Chriſtum, natum ex virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertio die reſuſcitatum à mortuis, receptũ in cœlis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum iudicare viuos & mortuos, per carnis etiam reſurrectionem.

Quales traditiones fuerint ueteribus.

ctionem. Hac lege fidei manente, cętera iam disciplinæ & conuersationis admittunt nouitatem correctionis, operante scilicet & perficiente vsque in finem gratia Dei. Hæc Septimus ille florens Tertullianus. Decucurit igitur inde ab initio Euangelij vnica fidei regula in Scriptura fundata immutabilis, immobilis, irreformabilis, cum interim ritus & traditiones sint mutabiles, variabiles, & quæ nũc aboleri, nunc rursus restaurari possint. Legem cœlibatus ministris Ecclesiarum indixerunt temporis progressu occidentales: ex aduerso orientales coniugium illis integrum in hunc vsq; diẽ voluerunt. Vnde Stephanus Romanus pontifex ait: Aliter se orientalium traditio habet Ecclesiarum: aliter huius sanctę Romanę Ecclesię, nam eorum sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi matrimonio copulantur, istius autem Ecclesię, vel occidentalium nullus sacerdotum à subdiacono vsq; ad episcopum licentiam habet coniugium sortiendi. Traditio fuit Apostolica Ephesi atq; in Asia, vt pascha more Iudæorũ seruare tur. Rursus in Ecclesia Romana traditio Apostolica secus habere dicebatur. Memorabilis est locus S. Augustini Epistola 76 ad Casulanum vbi differit de Ieiunio & ait. Si respondetur hoc docuisse Iacobũ Hierosolymis, Ephesi Ioannẽ cæteroscq; alijs locis quod docuit Romę Petrus, id est vt sabbato ieiunetur: sed ab hac doctrina terras cæteras deuiasse atq; in ea Romam ste-

Distin. 31. c Aliter. Coniugium sacerdotẽ.

tisse. Et è contrario refertur Occidentis potius loca aliqua, in quibus Roma est, non seruasse quod Apostoli tradiderunt, Orientis vero terras, vnde cæpit ipsum euangelium prędicari, in in eo quod ab omnibus cum ipso Petro apostolis traditum est, ne Sabbato ieiunetur, sine aliqua varietate mansisse, interminabilis est ista contentio generans lites, non finiens quæstiones. Tanta igitur cum sit varietas & discrepantia traditionum, non possunt omnes censeri Apostolicæ. Certè Paulus se vbique & in omni Ecclesia idem docuisse testatur. Prudenter itaque Cyprianus ad Pompeium scribit, se non admittere traditiones nisi quæ in Euangelijs, epistolis Apostolicis, vel Apostolorum actis haberentur. Quibus addere poteris, quę necessariò inferuntur ex sacris literis. Alia quęcunq; afferuntur incerta sunt, & non vbique recepta. Imò re bene perpensa, fatebimur traditiones plurimis in ecclesia superstitionibus, erroribus, & controuersijs occasionem præbuisse. Non pendet igitur ab Ecclesiastica consuetudine, vel norma fidei, vel certitudo doctrinę, sed si iustus cõsensus in Ecclesia seruari debeat, necessarium est, vt in vna scriptura oraculari firmiter & cõstanter inhæreamus.

Dist. 31. c. Aliter. 1. Cor. 4.

Ecclesiam inde ab Apostolorum tempore sub prætextu traditionum deceptam fuisse.

CVm vero vox traditionum semper in Ecclesia superstitionum patrona fuerit, & etiam

etiam hodie ſub earum titulo omne genus abuſuum, corruptelarum, & ſuperſtitionũ defendatur, maxima hic attẽtione & cautione opus eſt. Et quidem viuentibus adhuc Apoſtolis pſeudoprophetæ multas fingebãt corruptelas, quas Eccleſijs obtrudebant, & venditabant hoc nomine, quaſi ab Apoſtolis viua voce eſſent traditæ, quod Epiſtolæ Paulinæ manifeſtè oſtendunt. Quæ cauſa fuit cur Apoſtoli doctrinam ſuam cæperint literis comprehendere. Paulus etiam cum primum inciperet ſcribere, ſaluberrimam poſuit ad monitionem: Ne citò, inquit, dimoueamini à mente, neque turbemini, vel per ſpiritum, vel per ſermonem, vel per epiſtolam tanquam à nobis profectam. Digniſsima ſanè conſideratione cautio, triplicẽ indicans dolum, quo ferè fallere ſolent impoſtores. Primus eſt ſpiritus, hoc eſt, reuelatio ſeu vaticinium: ſecundus, ſermo, hoc eſt, ratio, ſeu coniectura humana: tertius, epiſtola, hoc eſt, ſcripta ſuppoſititia, & commentitiæ traditiones. A quibus impoſturarum generibus ni diligentiſsimè caueant Eccleſiæ, periculoſiſsimè ſimul ac pernicioſiſsimè falli eas neceſſe eſt. Quin & è vinculis monet Coloſſenſium Eccleſiam, caueant ne ſeducantur per inanem deceptionem, ſecundum traditionem hominum. Et Petrus inſtante iam vitæ ſuę fine, cum poſtremam ſcriberet Epiſtolam, præmonet futuros falſos doctores, qui fictis ſermonibus negotiaturi ſint in Eccleſia.

2. Theſſ. 2.

Triplex dolus quo impoſtores ſolent fallere.

Col. 2.

2. Pet. 2.

Minimè vero vanas fuisse illas Apostolorum commonefactiones experientia ostendit. Etenim cum adhuc in recentissima memoria esset Apostolorum doctrina, adeo vt vel ex Episcoporum successione synceritas eius demonstrari posset, hæretici nihilominus sub prætextu traditionum cæperunt pestifera dogmata Ecclesijs obtrudere. Si obijciebatur illis doctrina Christi, & Apostolorum eius, per successionem Episcoporum Ecclesijs tradita cauillabantur, seu vt verius dicam, calumniabantur Apostolos in hypocrisi edidisse magisteriũ, non quem admodum habet ipsa veritas, sed secundum capacitatem audientium. Et prout quisque affectus erat, sic eos doctrinam & responsiones formasse: cœcis cœca fabulatos, secundum cœcitatem ipsorum, languentibus autem secundum languores ipsorum, & errantibus secundum errores eorum, solis ijs qui digni essent, & intelligere possent, patefeciisse mysteria, quo quid indignius & impudentius in factiosissimos, & fidelissimos legatos Christi fingi potest? Si verò scripturis vrgebantur, scripturas accusabant, vt nõ rectè habentes, vt variè dictas, & ex quibus veritas inueniri non posit, ab ijs qui traditionem ignorent: eam autem traditionem, nõ per literas traditam, sed per viuam vocem, de qua Paulus dicat, Sapientiam loquimur inter perfectos. Quin & Carpocratiani hoc colore commenta sua defensabant, quod Iesus talia priuatim

Irenęus lib. 3 cap. 5. Tergi uersatio hæretcorum.

Li. 3 ca. 2.

Irenęus lib. 1. cap. 24. Carpocratiani.

uatim Apoſtolis in myſterio locutus fuerit: & Apoſtolos illa ſeorſum tradidiſſe, nó omnibus ſed dignis tantum, & aſſentientibus. Similes hę reticorum prætextus & Tertullianus recenſet. Ita ſequentes etiam hæretici hoc traditionis dibapho corruptelarum ſuarum ſtrumam texerunt. Artemon doctrinam ſuam ad maiores atque adeo ipſos etiam Apoſtolos retulit. Baſilides gloriatus fuit ſe Glaucia quodam qui fuerit interpres Petri, magiſtro vſum. Valentinus iactabat ſe audiuiſſe Theodotum quempiam, Pauli familiarem. Marcionitæ gloriabantur ſe Matthiæ diſcipulos habuiſſe magiſtros, & ab ipſis traditam doctrinam ſe tenere.

Euſeb. lib. 5. cap. 28.

Clemens Stromat. 7.

Quid, quod non tantum hæcetici hoc prætextu ſeduxerunt, ſed etiam viris Apoſtolicis impoſuit, & erroris anſam præbuit hoc traditionum pallium? Exemplo ſit Papias Epiſcopus Hieropolitanus Iohannis auditur, cuius apud Euſebium hęc ſunt verba: Cogitabam me non tantum vtilitatis ex libris, quantum ex viua voce relaturum. Vides Papiam ſcripturę prętuliſſe traditiones, quapropter potiſsimum de Andreę, Philippi, Thomę, & aliorum Apoſtolorum traditionibus exquiſiuit quorum nulla ſcripta extant. Sed vide quo illum abripuit tanta traditionum admiratio. Multa paradoxa, inquit Euſebius, & alia quędam Papias, tanquam ex traditione non ſcripta ad ſe relata adijcit: & peregrinas quaſdā Seruatoris parabolas ac do-

Papias. Li. 3. ca. 39.

ctrinas, cum alijs nonnullis fabulosis, in quibus etiam est Chiliastica opinio. Cœcatus ergo nimia indagatione & æstimatione traditionum nõ scriptarum Papias, fabulosa deliramenta in Ecclesiam inuexit, nec ipse solus à fidei synceritate aberrauit, sed multis etiam præclaris viris errandi causam dedit. Nam Millenarium illud delirium tanquam traditionem Apostolicam amplexi fuerunt, teste Hieronymo, Irenæus, Tertullianus, Appollinarius, Victorinus, Lactantius, & alij complures illustres & clari nominis. Bone Deus, quales viri, cuius erroris comites se præbuerunt, prætendentes, vt Eusebius inquit, tanti viri, Papiæ scilicet ducis, erroris antiquitatem. En quo nos abducat recepta semel traditionum non scriptarum authoritas. O laudabilem Polycarpi, item Apostolici viri, traditionum cum Scripturæ symphoniam, quæ illum in via regia tenuit.

Papias multos seduxit præclarosuiros per traditiones.

Hæsit igitur in Ecclesia hæc traditionum non scriptarum deceptio & impostura, quæ etiam ijs qui ab Ecclesia stare videtur exorbitationũ ansam præbuit, quod multis exemplis ostendi potest, quorum vnum aut alterum illustre recitabo. Magna est Clementis Alexandrini in tota antiquitate celebritas. Fuit & ille studiosissimus traditionum non scriptarum inuestigator simul, & venerator. Quare dicit operariũ qui in messem Domini emittitur, duplicem habere agriculturã, ἄγγραφον καὶ ἐγγράφου. Cur autem

Clemẽs Alexãdrinus studiosus traditionum.

præter

præter Scripturam quęſiuerit alias traditiones de dogmatibus fidei, hanc rationē reddit: quod ſcilicet Dominus non reuelauerit multis ea quę non erant multorum, ἀπόῤῥητα, inquit, verbo creduntur non ſcripto. Item: Myſteria traduntur, myſticè. Et lib. quinto Stroma. multis diſputat Sicut Philoſophi quædam arcana de ſuis dogmatibus ita occultarunt, vt non eſſent manifeſta omnibus, ita Apoſtolum etiam conſeruantem illam antiquam occultationem dicere: Sapientiam loquimur inter perfectos. Citat etiam ex quodam Euangelio apocrypho prȩceptum Domini: Myſterium meum mihi, & filij domus meæ. Atqui, ſi tibi conferre libeat, deprehendes hæc prorſus eadem eſſe, quæ apud Irenæum, & Tertullianum, Valentiniani, Carpocratiani, & alij hæretici pro tuitione & confirmatione ſuorū dogmatum proferunt. Quanquam igitur hæc ſententia tunc quidē in hęreticis ab Irenęo, & Tertulliano grauiter repreſſa fuit, tamē hæſiſſe in Eccleſia ad poſteritatem contagiū, hæc Clementis oratio oſtendit. Multis etiā verbis extollit Clemens peculiare quoddam genus Gnoſticorum, quos his verbis deſcribit: Cognitio quæ verum Gnoſticum facit, illa eſt, quæ per ſucceſsionē ad paucos ex Apoſtolis, abſque ſcripto tradita peruenit. Notanda eſt hæc Clementis deſcriptio. Nam etſi in Eccleſia damnata fuit Gnoſticorum hæreſis, tamen ſeminaria quædam huius peſtis, etiam in magnis viris in Eccleſia hæſerunt. Magnifacit igi- Li. Stro. 6.

Quo præcipitatus sit Clemēs per traditiones. Libro 1. Strom.

tur traditiones non scriptas Clemens easq; tantum non scripturis æquat: sed vide quo illum abducat, imò præcipitet hæc traditionum regula. Pauca quędam ex multis referam, ex quibus patebit, quam periculosum sit ἄγραφα sequi. Miscet Euangeliū philosophiæ decretis, eamq; legi Dei ęquat, nā sicut lex Iudęis pędagogia fuit in Christum, ita etiam Gręcis fuisse philosophiam. Et vtrique tam legi quam philosophiæ tribuit vim iustificandi, quod cum doctrina Pauli manifestissimè pugnat. Negat relapsos recipiendos esse in gratiam, quod est etiam contra doctrinā Euangelij, & Ecclesię Catholicę consensum. Concedit locum pœnitentiæ post hanc vitam, Li. 6. multis contendit Græcos per philosophiam saluatos, quam sententiam si amplectimur, nonne iuxta doctrinam Pauli, Christus frustra mortuus est? Nonne Christus nobis factus est otiosus, & à gratia excidimus? Deniq; multa deliria tanquā traditiones Apostolicas adorat. En quo recidant, qui extra Scripturam sapere volunt.

Libro 2. Strom.

Lib. 3.

Gal. 2.

Origenes deprauatus per traditiones.

Ab hoc tam insigni traditionum non scriptarum admiratore deprauatum fuit Origenis ingenium, quo vix aliud fuit inter ecclesiasticos patres, vel excultius, vel excellentius. Hic enim quæ à Clemente sub titulo traditionum Apostolicarum acceperat peregrina dogmata, suis libris passim infarcit, vnde toties à veteribus, & neotericis notatur, reprehenditur, sugillatur.

gillatur. Origenis dogmata Hieronymus vocat venenata At vnde venenum hauſit Origenes, niſi ex Clementis magiſterio? Vnde fallus Clemens, niſi ex talium traditionum admiratione, ſtudio, & veneratione? Certè quod in interpretatione Scripturæ diſcedendum ſit à litera, & allegoria quærenda, docet apocryphus liber Hormę Paſtoris, id tanquam traditionem Apoſtolicam accepit Clemens, & ſub hoc titulo Origeni tradidit. Hinc in hoc viro incredibile ſtudium exarſit ſcripturã in allegorias transformandi: cuius morbi contagio mirum quomodo poſtea omnium doctorum animos corripuerit. Guſtata enim ſemel allegoriarum dulcedine tanquã ſublimioris intelligentię immodicè exultarunt, & nihil non ad allegorias traxerunt, vt quiuis planè quiduis hic ſibi licere ſit arbitratus. Neq; vero hoc malum intra Orientem conſtitit, ſed Africam quoque, Italiam, Gallias & Hiſpaniam inuaſit. Itaque paulatim Chriſtianæ Theologiæ puritas in philoſophiã quandam transformata eſt. Atque hunc fructum talibus traditionibus ferimus acceptum.

Ad Auſtrũ, Pammachũ Oceanum, &c.

Allegorica ſcriptura translatio traditionibus.

Theologiã in philoſophiam trãſformata.

Fuit & magnus traditionum huiuſmodi iactator Epiphanius, qui ſubinde hoc titulo profert in medium, quæ ex apocryphis eruta ſunt. Quid multis? Quotquot huiuſmodi traditionum admiratione faſcinati fuerunt, ij omnes ab Apoſtolicæ doctrinæ puritate ad peregrinas opiniones & inſulſitates deflexerunt. Vt hę

Epiphanius.

traditiones mihi ſimiles videantur igni fatuo, quem capras ſaltantes appellant: Vt enim is ignis noctu ſupra loca humida & paluſtria appareat, & nocturnos viatores, ſi admirabundi & horrore quodam eum ſubinde inſpectauerint, in auia abducit, à qua fraude vulgò Irrlicht appellatur: ita ſpectrum ſeu phantaſma traditionis admiratores ſuos à veritate abduc-tos, in erronea conijcit. Atque hæc eſt præclara illa ſophia, quæ cæcutientium Iudæorum animos ineptiſsimis cognitionibus hactenus impleuit, & præclaros alioqui in Eccleſia viros, & hos ſecuros maximam multitudinem à veritate diſcedere, atque exorbitare fecit. Vt tutiſsimum ſit omnes traditiones, quocunque cenſeantur titulo, ad ſcripturæ regulam examinare, vt quod de ſcripturis authoritatē non habet, eadem facilitate contemnatur, qua probatur, vt bene monet Hieronymi ſententia.

In Matthæum cap. 23.

Prudens enim eſt Chryſoſtomi conſilium, qui ait: Sciens ergo Dominus tantam confuſionem in nouiſsimis eſſe futuram: ideò mandat vt Chriſtiani qui ſunt in Chriſtianitate, volentes firmitatem accipere verę fidei, ad nullā rem fugiant niſi ad ſcripturas: alioqui ſi ad alia reſpexerint, ſcandalizabūtur, & peribūt. Rurſus Hieronymus: Alia etiam, quæ abſque authoritate & teſtimonijs ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolica ſponte reperiunt atq; confingunt, percutit gladius Dei. Semper igitur, & in omni re du-

re dubia ad Scripturam confugiendum eſt, quę in omni controuerſia Theologica ſupremi iudicis fungitur officio, cuius ſententiæ ſtare debent omnes traditiones, omnes Eccleſiæ, omnia Concilia, omnia humana placita, & à qua non licet ad aliam prouocare, neque à verbo Dei recedere, & ad hominum traditiones anhelare. Qui enim ſcripturam audit, is ſpiritum ſanctum ſcripturarum authorem audit, & veneratur: atque ex aduerſo, qui tribunal ſcripturarum, atque iudicia lata in ſcripturis aſpernatur, nec vult acquieſcere, is ſpiritum Dei contemnit, & afficit non dicenda contumelia. Quiąque Scriptura duce è ſpinis & vepribus dubitationum, errorum, ſuperſtitionum, corruptelarum, abuſuum, ſe quaſi manu arrepta in rectā viam educi non patitur, is digniſsimus eſt, qui per loca auia in incertū vagetur, & pepetuò aberret.

CONCLVSIO.

Compendium omniū eorum quæ hactenus diſputata ſunt de ſancta ſcriptura & Eccleſia.

LONGA ſatis & litigioſa diſputatione demonſtraui Scripturam ſacram verbum Dei eſſe, in qua perfectum cœleſtis ſapientiæ complementum incluſum eſt. Neque quicquam ad ſalutem neceſſarium eſt, quod proditum in ſcripturis non ſit. Quia ſi cognitu fuiſſet neceſſarium, Deus non omiſiſſet, cum illic non dimidia ex parte, ſed ad plenum docere nos voluerit, quicquid ſcire nos volebat, & vtile eſſe no-

uerat. Hæc eſt vnicum fundamentum & columna viuificæ fidei, hæc contra errorum inſidias ſolidum firmamentum. Ex hac refutari debent hæreſes, ex hac potiſsimum dijudicanda dogmata ſunt, & ſumendæ fidei definitiones, & aſſertiones. Eſt hæc clariſsimę, & eminentiſsimæ authoritatis, adeò vt huic ſeruire debeat omnis pius & fidelis intellectus. Eſtque Catholicus Patrum, adeoque totius Eccleſiæ conſenſus, ſcripturam Canonicam, omnibus Eccleſijs, omnibus Concilijs, quantumuis generalibus omnibus Epiſcoporum & quorumcunque hominum, quotannis eruditione & ſanctimonia prę fulgeant, traditionibus decretis, placitis, ſcriptis præferendam eſſe. Huius plenitudinem, perfectionem, abſolutionem Eccleſia ſic veneratur & adorat, vt tanquam ſacrilegos, & falſos teſtes Dei, tanquam deteſtabiles, ſcandalorum, hæreſeon, ac diſſenſionum authores, tanquam ſuperbos, vanos, & à fide elapſos anathemate feriat, quotquot prę ter ſcripturam euangelizant. Quin & omnem reuelationem, omne vaticinium, omnem traditionem, omnem denique fidei normam, non fundatam in lege, prophetis, & Euangelio, ſuſpectam habet. Atq; huius ſummæ authoritatis apex, non ab Eccleſia, aut vllo humano teſtimonio, ſed à ſpiritus potiſsimum teſtificatione pendet. Etenim huius doctrinæ approbatio Eccleſiam præceſsit, quæ ex verbo vocata, orta, & propagata fuit, quæque doctri-

na

na prophetica & Apoſtolica tanquam fulcro ſuſtinetur.

Quanquam non diffitemur, authoritatem Eccleſiæ, quando cum authoritate ſcripturarum conſentit & congruit, tum ſanè momentum aliquod adferre, cum ad id vt ſcripturis fides habeatur, tum ad hoc, vt ſcripturæ rectè intelligantur. Veruntamen Eccleſia non gignit nouos articulos fidei, aut nouam interpretationem, ſed teſtis & vindex eſt veræ & incorruptæ ſententiæ, traditæ in ſcriptis & voce Apoſtolorum, & lumen verbi præfert ad diſpellendas tenebras ſacris literis ab hæreticis illatas: Semperq; curat Eccleſia vt Scriptura cõfirmet, quicquid ſtatuit. Reuerenter enim agnoſcit ſuam authoritatem verbo niti, & à verbo pendere. Eſt enim Scriptura nota perſpicua, certiſsima, & infallibilis Eccleſiæ. In hac, & non aliunde, in tanta ſectarum varietate, & opinionum pugna quærenda, agnoſcenda, & demonſtranda, ab hac æſtimanda eſt. Vbi Scriptura auditur, ibi Eccleſia eſt, ibi oues Chriſti vocem Paſtoris agnoſcunt. Sepulta autem doctrina veritatis, Eccleſia ſimul ex oculis hominũ euaneſcit.

Neque damnatur fidei noſtræ Eccleſia, neque ſibi credi poſtulat, niſi quatenus verba Dei loquitur. Nam cum agnoſcat à ſola ſcriptura ſe authoritatem ſuam & pondus obtinere, obedienter ſe diuinis literis accommodat. Proinde quicquid affirmat, vel negat, quicquid inſtituit

& præcipit, vel deſtruit, & prohibet, agnoſci vult, & credi, ſe in eo non ſuum, non alicuius hominis aut creaturæ, ſed Dei, ſed Chriſti verba & ſenſum afferre. Non igitur errat Eccleſia, quia in nullo ſuum ſequitur arbitrium, ſed vbique & in omnibus verbo Dei paret, in quo nullæ ſunt tenebræ, errores nulli, Secus ſi agat, verum manet illud Scripturæ: Omnis homo mendax, ſolus autem Deus verax. Eſt omnino Eccleſia columna & firmamentum veritatis: quia cuſtos eſt ſanæ doctrinæ: eamque propagat ſuo miniſterio ad poſteros, ne in mundo intercidat. Eſtque illa ſcriptura diuina, quam agnoſcit & comprobat Eccleſiæ conſenſus: ſed hic conſenſus & hæc comprobatio, non eſt placitum hominis, ſed neceſſaria, & à vi veritatis expreſſa confeſsio & teſtificatio. Quæ nequaquam id efficit, vt Eccleſiæ maior aut æquipollens Scripturæ ſit authoritas.

Malignantium eccleſia.

Illa verò Eccleſia malignantium quæ verbum Dei non ſolum non audit, ſed credentes Euangelio proſequitur immani crudelitate, atque extinguit, inſuper & humanis traditionibus totâ initiitur, ſatis ſuperque declarat ſe ex eo eſſe de quo ſcriptum eſt. Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſiderijs patris veſtri vultis obſequi. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo. Etenim ex fructibus Herodianæ ſæuitiæ, vanitatis, impoſturarum, & corruptelarum qualis ſit cognoſcitur.

Ioan 8.

noſcitur. Sponſa verò Chriſti, vocem ſponſi audit, eiſque ſe, vt par eſt, ſubijcit. Huius caſtitas eſt, non abduci à Chriſti ſimplicitate, ſicut teſtatur Paulus. Non errat ergo, quæ Dei veritatem pro regula ſequitur. A qua ſi recedit, ſponſa eſſe deſinit, & fit adultera. Ergo qui ſine delectu & exceptione vlla audiendas eſſe cenſet defectricis Eccleſiæ definitiones, ſimul hanc neceſsitatem imponit fidelibus vt abnegato Chriſto, & relicta Dei veritate, impietati ſæpe adhæreant, tantum abeſt vt eiuſmodi Eccleſiæ iudicium exactiſsima fidei regula eſſe poſsit. De Scriptura verò ſpiritus ſanctus diſertè ait: hominem qui in ſacris literis operam nauauerit, eruditum effici ad ſalutem, quæ poſt hanc vitam parata eſt; deinde ἄρτιον, id eſt, integrum, denique ad omne opus bonum apparatum, inſtructum, & planè, quemadmodum Ambroſius reddidit, conſummatum, perfectumque. 2. Cor. 11. 2. Tim. 3.

Habes, candide lector, à me elaboratam, pinguiore quidem, & prope inuita Minerua, de authoritate Scripturæ & Eccleſiæ diſſertationem, quæ vtinam prolixitatem ſuam, commoditate ſua & vtilitate compenſet. Infantiam eius, & inconditam congeſtionem excuſarem, niſi illam vererer, excuſando facere prolixiorem: Itaque eruditas aures precor vt ieiunæ ineloquentiæ meæ, & ſtyli ruditati ignoſcant. Non enim doctis hæc, ſed rudibus & ſimplicibus ipſe rudis & ſimplex, exaraui. Dominus

Iesus funiculum contentionis pernicioſiſsimũ, ſpiritu veritatis, ac veræ concordiæ abrumpat, & offendiculum inteſtinorum diſsidiorum è nobis, quotquot ipſius nomine cenſemur, radicitus euellat ac propulſet, vt idem loquamur omnes, & ſimus coagmentati eadem mente & ſententia in ipſo, Cui laus, honor, & gloria in omne æuum, Amen.

FINIS.

NE ALIQVOT VA

CARENT PAGELLAE SVB-

iecimus hæc conſequentia.

AVGVSTINVS.

DE vnitate Eccleſiæ cap. 16. Donatiſtas compellans, vtrum ipſi, inquit, Eccleſiam teneant non niſi diuinarum ſcripturarum canonicis literis oſtendãt. Quia nec nos propterea dicimus nobis credi oportere quod in eccleſia Chriſti ſumus, quia ipſam quam tenemus commendauit Mileuitanus optatus, vel Mediolanenſis Ambroſius, vel alij innumerabiles noſtræ communionis Epiſcopi. Aut quia noſtrarum collegarum Concilijs ipſa prædicata eſt. Aut quia per totum orbẽ in locis ſanctis, quæ frequentat noſtra communio tanta mirabilia vel exauditionum vel ſanitatum fiunt. Aut quia ille ſomnium vidit, & ille ſpiritu aſſumptus audiuit recedendum eſſe à parte Donati. Quæcunque talia in Catholica fiunt, ideo ſunt approbanda, quia in Catholica fiunt; non ideo ipſa manifeſtatur Catholica, quia hæc in ea fiunt.

Ipſe Dominus Ieſus cum reſurrexiſſet ex mortuis & diſcipulorum oculis videndum manibuſq; tangendũ corpus ſuum offerret, nequid tamẽ fallaciæ ſe pati arbitrarentur magis eos te

ſtimonijs legis & Prophetarum & Pſalmorum confirmandos eſſe iudicauit, oſtendens ea de ſe impleta, quę fuerant tanto ante prædicta. Sic & Eccleſiam ſuã commendauit, dicens, prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & remiſsionẽ peccatorum, &c. Hoc in lege & Prophetis & Pſalmis eſſe ſcriptum ipſe teſtatus eſt, hoc eius ore commendatũ tenemus. Hæc ſunt cauſæ noſtrę documenta, hęc fundamenta, hæc firmamenta. Legimus in Actibus Apoſtolorum dictum de quibuſdã credentibus, quod quotidie ſcrutarentur ſcripturas, an hęc ita ſe haberent. Quas vtiq; ſcripturas, niſi Canonicas legis & Prophetarũ? Huc acceſſerunt Euangelia, Apoſtolicæ epiſtolę, Actus Apoſtolorũ & Apocalypſis Ioannis. Scrutamini hæc omnia & eruite aliquid manifeſtum, quo demonſtretis vel in ſola Aphrica remanſiſſe, vel ex Aphrica futuram eſſe. Sed ali quid proferte quod non egeat interprete: nec vnde conuincamini, quod de alia re dictum ſit, & vos ad veſtrũ ſenſum detorquere conemini.

HIERONYMVS.

AD Mimerium & Alexandrum. Nec, inquit, iuxta Pythagorę diſcipulos, prę iudicata doctoris opinio, ſed doctrinæ ratio ponderanda eſt. Si quis autem contrariæ factionis im murmurat: Quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquieſco? Sciat me

et me illud Apoſtoli libẽtur audire, omniã probate, quod bonum eſt tenete: & ſaluatoris verba dicentis, Eſtote probati nummularij, vt ſi quis nummus adulter eſt & figurã Cęſaris non habet, nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur. Qui autem Chriſti faciem claro præfert lumine, in cordis noſtri marſupium reconda-tur. Et paulo infra, Meum, inquit, propoſitum eſt, antiquos legere, probare ſingula, retinere quæ ſunt bona, & à fide Eccleſiæ non recedere.